267

6
19-c
60

556

6-19.c.60

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISCOPUS

SIVE

DE MUNERE EPISCOPATUS

LIBRI TRES

ILLMO AC RMO DOMINO

D. CAJETANO

EX COMITIBUS GINANNIIS

EPISCOPO FULGINATI

AUCTORE JOSEPHO PONSI.

Ordinis Officium primus, jus continet alter,
Tertius his vitæ formam laudabilis addit.

FULGINIÆ 1784.

Apud Joannem Tomassini Impress. Episcop.

Superiorum assensu.

III.

PRÆFATIO.

Tanta est Episcopalis Officii in Ecclesia dignitas, tanta in usu ejusdem potestatis auctoritas, tantus denique illud comitantium virtutum splendor, ut nihil quod religioso poemati materiam præbere possit, tribus hisce rebus pulcherrimis utilitate sua & jucunditate præferri, aut æquari posse videatur. Quapropter jam delibatis a præstantissimis quibusque præcedentium Poetarum omnibus aliis cum sacræ, tum profanæ eruditionis argumentis, hunc mihi locum, in quo musæ meæ liberius spatiarentur, vacuum relictum esse maximopere gaudeo. Si quis autem hoc nomine me reprehendendum existimet quod duobus postremis hujus operis libris Minervam, ut ajunt, id est Episcopos Catholicæ doctrinæ legitimos custodes, docere aggressus sim, huic facile respondebo; quæcumque illic de Ecclesiæ Præsidum juribus, atque institutis ex sacrorum potius canonum, & sanctissimorum virorum, a quibus illa accepi, quam ex meo sensu dicta inveniuntur, non tam alios erudiendi, quam ornandi causa meis versibus complexum fuisse. Verum enim vero ne improvidæ, & inconcinnæ orationis forma quæ illustranda susceperam aliquo modo obscurarem, quantumvis

Digitized by Google

aliis a me in lucem editis poematiis, hisque publico hujus artis peritorum judicio probatis, aliquam mearum virium fiduciam habere possem, nolui tamen hoc opus periculosæ adeo plenum aleæ foras emittere, nisi prius illud hominis alicujus patientissimi, omnibusque ad id necessariis subsidiis instructi, correctioni subjicerem, qui eas quas in optimo censore Horatius requirit partes mecum fideliter exerceret. Fuit autem is a quo mihi hoc egregium sinceræ amicitiæ officium, maximam partem, præstitum fuit, excellentis ingenii, & eximiæ doctrinæ vir Josephus Casanovas civis meus, quem ego adolescens hujusmodi studiorum ducem, ac principem nactus, postea in tradendis severioribus disciplinis socium, summaque mihi necessitudine conjunctum Cervariæ nobilissima Hispaniæ Academia habui, & nunc etiam amicissimum habeo. Multa ego illius consilio in hoc opere aut mutavi, aut correxi, multas etiam ab eodem mihi suppeditatas, nonnullorum locorum illustrationes, aut emendationes, nec non aliquorum carminum elegantiores, & magis modulatas inflexiones accepi, ut si quid in toto hoc opere reperiri possit, quod eruditorum hominum approbationem mereatur, in hujus, quæcumque tandem sit, laudis societatem optimo jure illum admittendum putem.

LI-

LIBER PRIMUS.

Pontificum mediis populis quos sorte regendos
Divina accipiunt quis honos, quæ munia certis
Solemni rerum pompa exercenda diebus:
Jus quantum, quænam & vitæ præcepta severæ
Dicere fert animus. Procul o! procul este profana
Numina; Sancte mihi pavido sed proximus adsis
Spiritus, æterni ut quæ sunt tua munera amoris
Te valeam dignis vates depromere verbis.
Tu quoque, Majorum claro cui sanguine creto,

Ex-

Digitized by Google

Excelsique animi noto virtutibus olim
Addidit egregium merito decus infula sacra,
Dux mihi inexplorati operis sis magne GINANNI.
Quippe tuæ testis vitæ, cultorque latentis,
Sedulus & lateri augusto comes additus extra,
In templo dum Sacra facis, dum splendidus auro
Incedis populi excipiens pia vota sequentis:
Te primum hæc scribens secreta mente revolvo,
Te nostra hæc referent nativo carmina vultu.

Principio verbi illustres, fideique satores,
Inventor quos tanti operis Deus ipse ministros
Elegit bis sex tota de gente piorum,
Quamcumque antiquis eductam erroribus urbem
Assiduo Cœli Regi adjunxere labore,
Hanc (*a*) celebri si digna loco, si commoda fini,
Supremi sedem statuebant præsidis, unde
Commisso solers studium impensurus ovili
Imperiis totam gentem sibi stringeret æquis.

Di-

(*a*) *Episcopalia gubernacula non nisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præsidere; ne quod Sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis & possessionibus, vel obscuris, & solitariis municipiis tribuatur Sacerdotale fastigium.* Leo Papa ad Epis. Africæ ep. 85.

Divina hunc morem, ut perhibent, ab origine ductum
Extinctis primis fidei, vitæque Magistris,
Exempla hæc venerati servavere minores:
Pontifices hinc urbs quæcumque suos habet, ingens
Et decus, & rebus populo solamen in arctis.

Præside defuncto quondam plebs ima, patresque
More locum prisco soliti procedere in unum.
Hic cuicumque suum pandendi copia votum,
Quem sibi deposcat Patrem, cui fœdere certo
Commissam populi cupiat, propriamque salutem.
Ille ergo in quem collectæ suffragia gentis
Irent majori numero, si juncta sacrati
Firmasset factum concors sententia cœtus,
Quippe (*b*) sacri semper cœtus fuit ista potestas,
Jure suo sedis vacuæ accipiebat honorem,

Præcipue illorum è numero qui sacra regebant
Urbis, cui dandus Præsul, si talis adesset,
Regula quem recipit, firmato jure (*c*) legendus,
Aut

(*b*) *Electio quidem Episcopi maxime pendebat a Clero, exquirebatur nihilominus etiam de hac re voluntas populi*. A Clericis electi, a plebibus expetiti. Leo Papa Rustico Narbonensi Epis. ep. 90.

(*c*) *Secundum veterem disciplinam eligebatur Præsul ex Clero illius Ecclesiæ, cui dandus erat Antistes*, *si*

Aut (*d*) cœlebs, uxorem aut qui non amplius unam
Duxisset, nulli sed quæ ante jugata marito,
Virgineum attulerit thalamo incorrupta pudorem.
Præterea & qui longo, nec fallente probatus
Indicio inculpatis vitæ moribus actæ,
Spem faceret verbo illustrem, exemploque futurum.
Nunc ferme ad votum supremi (*e*) Principis, unus
Sub-

---

si modo aliquis esset hujusmodi qui ad tantum officium aptus videretur. Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus poterit reperiri. Cœlestinus Papa ad Epis. Galliæ ep. 2.

(*d*) *Cognoscamus non solum hoc de Episcopo, & Presbytero Apostolorum statuisse, sed etiam Patres in Concilii Nicæni tractatu addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit. S. Ambr. ad Vercellensem Ecclesiam ep.* 82. *Præcipimus ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem litteras ad sacros ordines permittas accedere*. S. Gregor. Squillatino Epis. lib. 2. ep. 25.

(*e*) *Placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, atque Galliciæ, ut salvo privilegio uniuscujusq. provinciæ licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque* Regalis potestas elegerit, *& jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis & in præcedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores*. Concilium Tolet. 12. an. 681. can. 6.

Subjecti partes populi qui sustinet omnes,
Pastores primæ præsul dat maximus (f) Urbis.
Sæpius externos, sed qui virtutis honore,
Consilioque gravi indigenas superare putentur.
Jamque age quo ritu arcano, quòque ordine rerum
Huic lecti officio sacrandi, quique recepto
More operis tanti summus Dux, quique Ministri,
Rem scitu haud indignam nostrum est promere cantu
Non tamen est animus, nec fas percurrere cuncta,
Antistes profert summus quæ voce sonanti,
Ejusdem & voci respondens dextra operatur,
Pontificum e libris quivis quæ discere possit;
Sed quæ sunt oculos specie magis apta morari,
Cernentumque animis graviorem infundere sensum.
Pontificem æquali nisi qui fungatur honore
Consecrare potest nemo, nec sufficit unus,
Tres (g) etenim ætatis præsentis forma requirit,

(f) *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit*. Conc. Trid. Ses. 23. can. 8.

(g) *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, tribus tamen omnimodis in id i-*

Quos inter movet agmen, quem provincia ſummum
Agnoſcit (*h*) patrem, reliqui pro parte miniſtrant,
Sic nam jura ferunt, at jam inferioris honoris
Subſtitui huic alium dehinc conſuetudo probavit.
Nec quæcumque tamen lucem mortalibus ægris
Profert læta dies operi tanto apta, ſed illa,
Quæ (*i*) Domini ſervans nomen cultumque ſupremi,
A capite exacto ſeptem redit orbe dierum;
Seu quæ Diſcipulis, quibus hæc reverentia ſolis
Defertur, quovis anno vertente dicatur.
Ergo dies ſolem ut primum expectata reduxit,
Nuntius e templo adveniens & cuncta parata
Narrat, compeſci turbam nec poſſe receptam,
Conveniunt Electus (*l*), & hic a quo iſte ſacrandus;

Qui-

---

pſum convenientibus, & abſentibus per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Conc. Nicæn. can. 9.

(*h*) *Antiquo jure Conſecrator erat Metropolitanus, nunc ille, cui a Sede Apoſtolica id muneris committitur*. P. R. p. 50. Epiſcopus non eſt ordinandus ſine concilio, & præſentia Metropolitani. Conc. Antioch. can. 19.

(*i*) *Conſecratio Epiſcopi debet fieri die Dominica, vel Natalium Apoſtolorum*. P. R. p. 50.

(*l*) *Hora competenti Conſecrator, Electus, Aſſiſtentes Epiſcopi, & alii, qui Conſecrationi intereſſe debent ad Eccleſiam conveniunt*. P. R. p. 52.

Quique illi assistunt testes, operisque ministri
Albis induti tunicis, & veste micanti,
Quales Pontifices soliti procedere festis
Facturi Sacrum populo spectante diebus.
Jamque aliis hic præmissis de more quibusdam
Electi unde fides, sensusque, animusque patescant,
Numinis aut etiam favor, auxiliumque petatur,
Pontificum (m) primus, reliquis hinc inde ministram
Dextra operam junctim tensa præstantibus, apte
Coccineo corio compactum, auroque volumen
Educens, cursus vitæ in quo ex ordine Christi,
Sermonesque pii, mirandaque facta leguntur,
Cervici Electi imponit, scapulisque ferendum.

Nec mora (n) protensis manibus, capitique volentis
Impositis, simul hic, simul omnes voce loquuntur
Concordi (omnipotens sed quæ vox continet una
Imperium) cœlo flagrans deducere Numen
Sperantes, spem istam præsenti & munere firmant.

 In-

(m) *Consecrator accepto libro Evangeliorum, illum apertum adjuvantibus Episcopis Assistentibus imponit super cervicem & scapulas Electi*. P. R. p. 61.

(n) *Deinde Consecrator & Assistentes Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt dicentes: Accipe Spiritum Sanctum*. P. R. p. 61.

Inde operis tanti qui dux & maximus auctor,
Cœlesti rursum auxilio de more vocato,
Sede (*o*) sedens dorso medium ante altare locata,
Pollice fragrantis tincto pinguedine olivæ,
Balsamus adveniens proprium cui cessit honorem,
Suppliciter coram flexi caput impigre inungit:
Dein manuum palmas crucis in morem utraque signans,
Multa Patrem, multa & Natum, communis utrique
Consortem & naturæ Ignem casto ore precatus.

Jamque (*p*) pedum tradens, pastorum insigne, regendo
Quam pecori, acri miscens dulce, impendere curam
Debeat & factis, & verbis edocet ipsis.
Tum (*q*) gemmam accipiens subter quam circulus auri
Alligat, & vario fixam splendore coronat,

In-

(*o*) *Pontifex sedet in faldistorio ante medium Altaris: Tum pollicem suum dextrum intingit in sanctum Chrisma, & caput Electi coram se genuflexi inungit, formans primo signum crucis... Consecrator Electo ante ipsum genuflexo inungit ambas manus simul junctas cum Chrismate in modum crucis*. P. R. p. 62. & 64.

(*p*) *In traditione baculi: Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens*. P. R. p. 65.

(*q*) *In traditione annuli: Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam... illibate custodias*. P. R. p. 66.

Inserit exerto digito, quo munere plebi
Subjectæ æterna despondet lege maritum.
Felix o! primam si quam sibi junxit amore
Ad summum vitæ usque diem sine crimine servet.
Ergo cœptis instando quem corpore prono
Sustinet Electus librum, siquidem de re ista
Quæ dixi nondum ceciderunt mente tenaci,
Attollens (r) operi sacro qui præsidet alte,
Hinc simul atque hinc dextram aliis subdentibus, ipsi
Tangenti præbet clausum, & rem carmine signans;
Sume, ait, & quo te collati muneris ordo
Appellat, verbi divini nuntius ito.
Stat juxta gemmis, auroque intexta bivertex
Mitra (s) decus capiti sacro, tegumenque futurum

Tres

(r) *Tum Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis Consecrati, & adjuvantibus ipsum Episcopis Assistentibus, tradit eum clausum Consecrato tangenti, dicens: Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso*. P. R. p. 66.

(s) *Consecrator benedicit mitram si non sit benedicta: deinde sedens . . adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis imponit eam capiti Consecrati, dicens: Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis, & agonistæ tui galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie & armato capite cornibus utriusque testamenti terribilis appareat*. P.R.p.69.

Tres illam huic simul imponunt, habet atque latentem
Cauſam, aperit paucis verbis quam lingua ſacrantis:
Hæc tibi pro galea, dicens, munimimis eſto:
Cornibus his frontem radiantem armatus ut alter
Moſes armento avertes fureſque, lupumque.
At ne qua inficiant fœdæ contagia vitæ
Turpi ſorde manus, patri quibus hoſtia munda
Offertur, capit & populus cœleſtia dona,
Textilibus circum tegumentis providus ambit.

Pontificum hinc princeps (*t*), huic nec non alter honore,
Proximus, admiſſæ plebis clamore favente,
Sublimi dextra medium; lævaque tenentes;
Commodus unde queat ſpectari, in ſede reponunt
Vincentem occiduas propriis ſplendoribus umbras.
Qualis ubi cœlo conſurgens Lucifer alto
Pulchri præcurſor ſolis, pulcherrimus ipſe
Subjectum irrorat primis fulgoribus orbem;
Seu novus ut ſponſæ prima ſe nocte maritus,
Plurima cui digitos innectit lucida gemma,
Siſtitur & forma, & multo ſpectabilis auro.

Hinc

(*t*) *Conſecrator accipit Conſecratum per manum dexteram, & primus ex Aſſiſtentibus Epiſcopis per ſiniſtram, & inthronizant eum*. P. R. p. 79.

Hinc omni e numero duo sedis honore (*u*) minores,
(Major quippe alius servat vicinior aram),
Longe illum ducunt crucis instar dexteram agentem
Interius quantum tenduntur mœnia templi.

Atque hæc diversis spatiis dum læta geruntur
Qui propius (*x*) sanctis adstant altaribus hymnum
Ore sonant laudis, reperit quem numine plenus
Ambrosius, quicumque hujus vel carminis auctor:
Inde redux posita vix paulum in sede (*z*) quievit
Incœpti pridem cantus dum terminus adsit,
Surgens (*a*), cum mediam supplex conversus ad aram
Hincque iterum placide ad populum, qui plurimus udæ
Defixis terræ genibus, vultuque modesto
Expectat lætum finem, ter voce canora

Ap-

(*u*) *Consecratus ducitur ab Assistentibus Episcopis cum mitris per Ecclesiam & omnibus benedicit, Consecratore interim apud altare stante*. P. R. p. 71.

(*x*) *Consecrator stans incipit, cæteris usque ad finem prosequentibus, Hymnum Te Deum*. P. R. p. 70.

(*z*) *Consecratus reversus sedet quousque finiatur hymnus*. P. R. p. 71.

(*a*) *Consecratus surgit, & accedens ante medium altaris versus ad illud . . . vertit se ad populum, & tertio super eum signans benedicit, dicens: Pater, & Filius &c.* P. R. p. 72.

Appellans terno celebratum nomine numen ;
Ter cruce cunctos & signans dimittit ovantes.
Ecce autem positi sibi dum subit ostia tecti,
Densa ipsum populi & procerum stipante caterva,
Fœmina neglecta veste incomptisque capillis,
Immensum & vultu ostentans lacrymante dolorem,
Flexa genu, natum languentem tendit eunti :
Non equidem illa aurum poscens, cusumque metallum
Indiciis sed quod certis edocta teneret
Immoto puerum sibi fatorum ordine, dulcis
Perdendum mater, medica nihil arte juvante,
Gratior extincto cedat quo vita sub umbras,
Huic prius optaret signari Chrismate frontem,
Idque omnes flens nunc superos testata rogabat.
Quo gemitu commoti omnes, commotus & ipse,
Res animum quamquam prius haud exercita turbat,
Substitit afflictæ certus succurrere matri.
Atque hic dum puero prope sacramenta daturus
Accedit novus Antistes, dum fervidus orat,
Summa manuum palmis lactentis tempora opacans,
Chrismate dum frontem tergit ter nomina magna
Voce vocans valida, dum verba potentia fundit,
Dicentem extemplo donorum corripit auctor,

Oc.

Occupat & totum præſenti numine pectus.
Inde velut jugi ſi quis de fonte pusillum
Vas implet, non ille quidem manantis aquai
Abſorbet rivum, latices ſiccatve fluentes;
Haud aliter divino exundans numine Præſul,
Maxima in infantem quantumvis dona profundat,
Non tamen idcirco fraudatur munere tanto.

Extitit & tempus donis illuſtrius olim
Plurima divinum adventum cum ſigna (*b*) ſequuta,
Concepto unde prius linguis flammantibus æſtu
Facundi patres multos fecere diſertos.
At nunc anguſtis cohibet ſe gratia vivax
Finibus, inſolitis monſtris nec proditur extra:
Quandoquidem populo poſt tot data ſigna fideli,
Portentis hoc tempus eget non amplius iſtis.
Illa tamen (*c*) vires animo, roburque miniſtrans
Occultum, caſus mentem confirmat in omnes,
Sancta fides per quos adeat tentata periclum.

e Pon-

(*b*) *In donatione Spiritus Sancti ſigna viſibilia apparebant*. D. Bonaventura in 4. Diſt. 7. q. 2.

(*c*) *Confirmatio inſtituta eſt, ut ejus virtute optime inſtructi & parati inveniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet*. Catech. R. P. 2. De Sacr. Confir. n. 18.

XVIII.

Pontifices ideo tanti ne muneris expers
Esse diù quisquam vivens, tumulove receptus
Spem quisque cogatur tam sancti amittere doni,
Flaminis in terram adventus cum festa recurrunt (*d*),
Oppida (*e*) solliciti & cum longe dissita lustrant,
Templa vocant puerorum festivum agmen ad alta,
Septima queis vitæ gradientis fluxerit ætas (*f*);
Aut paulum a meta prædicti temporis absit.

His ducto vallo inclusis, atque ordine certo
Dispositis adstant lateri de more patrini,
Quos Præsul contra faciem conversus, & inde
Erectus tensis manibus, dum poplite flexo
Expectant taciti, precibus communibus orat.

At

(*d*) *Illud quoque solemni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipue hoc Sacramentum administraretur.* Cat. R. P. 2. c. 3. n. 25.

(*e*) *Inter causas Visitationis numeratur: Quinto ad exhibendum Sacramentum Confir.* P. R. p. 399.

(*f*) *Consuetudo obtinet apud Græcos, & obtinuit etiam usque ad sæculum* 13. *apud Latinos ut statim post Baptismum tam Infantes, quam Adulti confirmarentur. Inde Pont. R. tit. De Confirmandis, primo loco inter confirmandos nominat Infantes, Catech. autem Rom. dicit maxime convenire, ut hoc Sacramentum differatur usque ad septimum annum: Verum id aliquibus in locis non servatur.*

Digitized by Google

At non communis fuerat, prout sermo precantis
Sic etiam confusa, aut errans unctio fertur;
Quemque suo siquidem designans nomine cunctis
Discretim linit unguenti pinguedine frontem.
Hisque ita perfusis, olim & crescentibus annis
Militiæ addictis tolerandæ sub duce Christo
Ore levi dextram producens percutit (g) ictu:
Quo discant pugnam affectant quicumque recentes
Non infligendo hic vinci, sed damna ferendo.
His demum præscripto exactis ordine rebus
Vota Deo Præsul rursus solemnia fundit,
Ut quæ divino nutu suscepit agenda
Perficiat, jubeatque æternum immota manere.
Nec plura, optantes cruce signans carcere mittit.
Sublimem (h) est illi quibus ornat tænia frontem,
Discurrunt passim visuri templa per urbem

(g) *Qui jam unctus & confirmatus est ut meminerit se tamquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine ferenda, manu leviter ab Episcopo cæditur*. Cat. R. P. 2. c. 3. n. 26.

(h) *Solent alicubi pueri recens confirmati incedere cum tænia, seu vitta alba in fronte, & sic adire Religionis causa præcipua Urbis templa, quo facto petunt ab aliquo Sacerdote, ut ipsis tæniam solvat, a quo etiam munusculum aliquod accipiunt*.

Orantes pacem Divos, & præmia poscunt.
Jamque ministrorum suprema lege sacratum
Paulatim lethi numerum minuente juvabit
Suffectis aliis sedes implere relictas,
Si qui forte humeros oneri præstare volentes
Occurrant, puræ extollat quos gloria vitæ,
Doctrinæ meritum jungentes moribus almis.
Præcedunt ritum populi jejunia casta;
Inde ubi jam famis indictæ lux tertia venit,
Descendens summi Delubri Præsul in ædes (i)
Conventu in magno solemnes inchoat aras,
Quandoquidem ad sacros quemquam deducere honores
Haud licitum super altari nisi mane litanti.
Stant juxta genibus flexis, insignibus atque
Ordinis instructi poscunt qui munera sacra,
Nec se quisque prius fida statione movebit,
Quam pronus vocem accipiat, jussumque vocantis.
Accedunt primi vitæ queis nobilis ardor
Ut templo tonsis vellent servire capillis
Suasit, despectis siquidem fastuque, opibusque

Unam

(i) *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publice celebrentur.* Conc. Trid. Ses. 23. c. 8.

XXI.

Unam mercedem Dominum optavere (*l*) laboris :
Ferrea devotis circum ambit tempora forfex.
Desuper hinc Præsul candenti velat amictu,
Addictosque sibi præclaris juribus ornat.
Post alii commissa loci quibus ostia sacri,
Quæ dignis pandant faciles, claudantque profanis :
Accipiunt moniti claves, (*m*) atque ærea pulsant
Cymbala, succedunt, jam primis inde remotis,
Scripta quibus patrum divino condita sensu,
Cœlesti mentem flamma & quæ accendere possint,
Solerter populo collecto cura legendi :
Est liber indicium commissi muneris illis.
Inde malos subeunt quibus asservata potestas
Pellendi genios, & conjurata nocentum
Agmina possessis lustrali carmine membris :
Delatum liber imperium ceu tessera signat.

Ex-

(*l*) *Quilibet cum tondetur, dicit: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei &c.* P. R. p. 11.
Filii charissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia Clericalia sortiti, &c. P. R. p. 13.

(*m*) *Describitur in hoc & sequentibus versibus ritus initiandi promotos ad quatuor minores ordines prout habetur in* Pont. R. a p. 14.

Extremi, quibus officium præferre coruſcam
Cera ardente facem peragit dum ſacra Sacerdos:
Officii ſignum confertur cereus illis.
Omnia quæ ritu poſtquam completa decoro
Procedunt quorum ætas circumducta minorum
Servitio graduum ſecreta ad munia poſcit
Altaris, teſtes operis pariterque miniſtri
Admiſſi, fundit dum myſtica liba Sacerdos,
Atque Deo ſiſtit Natus ſe victima patri.
Hos Præſul, quoniam ſacro vis addita voti
Sancta miniſterio, & ſublata licentia juſti
Conjugii, ne quod placuit mutare laborent
Converſis ſtudiis, verbis ita fatur amicis:
Quo (n) res ducta loco, vobis poſcentibus ipſis,
Haud etenim invitos ulli traxere, videtis.
Diſcite cuinam colla jugo ſubmittitis ultro.
Nunc datur, hanc animi morbus ſi forte requirat,
Conceſſam dono divum ſibi ferre medelam.

Quod

(n) *Paraphraſis allocutionis Pontificis ordinandis in Subdiaconos, quæ eſt hujuſmodi: Filii dilectiſſimi, ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum conſiderare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire &c.* P. R. p. 25.

Quod si dura semel stringat vos sponte recepti
Relligio pacti nullus jam erit inde regressus.
Quin potius pura famulantes mente supremo
Numini oportebit castam dehinc ducere vitam.
Quæ postquam multa Præsul gravitate loquutus
Finibus inde suis egressi quique ministri,
Quique Sacerdotes ritu majore sacrandi,
Pontificem cohibent medium, cinguntque corona.
Atque ille (*o*) incumbens sellæ de more paratæ
Poplitibus flexis, aliis hinc inde sub aram
Corpore humi prono stratis, voce incipit alta
Alternis summum numen, superosque vocare.
Hinc (*p*) calicem vacuum cui labri extrema micantis
Arrodit dorso insistens aurata patella,

Pro-

(*o*) *Pontifex mitram in capite tenens procumbi super faldistorium, in superiori gradu, & omnes Ordinandi in locis super tapetia prosternunt se, & si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, Ministris & Capellanis respondentibus: Kyrie eleison.* P. R. p. 24.

(*p*) *Ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt: Pontifice dicente: Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis &c.* P. R. p. 28. & 29.

Profert, post alios alii quem tangere jussi
Infima servitii augusti qui munia poscunt.
Antiquum hunc ritum comitantur verba monentis
Qualibus instructum deceat virtutibus illum,
Censeri possit tanto qui dignus honore.
Tum caput obnubens lini candentis amictu,
Et laxa corpus tunica, lævamque maniplo
Aptans, tangendum librum communiter offert,
Omnia quæ verbis rem actam signantibus ornat.
Hinc (q) lateri socios, adjutoresque Sacerdos
Quos habeat sacris libans dum altaribus adstat,
Uno divisos tantum gradu honoris ab ipso,
Aggreditur Præsul verbis, factisque sacrandos,
Firmavit postquam mentem vox missa per auras
Testantis donis dignos præstantibus illos,
Mortali ut generi concessum talia nosse.
Depulsa quibus auditis formidine cuncta,

An-

(q) *Promovendi ad Ordinem Diaconatus per Archidiaconum vocantur ... Archidiaconus offerens illos Pontifici dicit: Reverendissime Pater &c. Pontifex interrogat, dicens: Scis illos dignos esse? Respondet Archidiaconus. Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.* P. R. p. 32.

Annuat his etiam præsens si turba silendo,
Procedit, tum multa monens, longumque precatus,
Subiicit, ipse Deus quippe os linguamque loquentis,
Sermonem inceptum abrumpit, dextraque (*r*) supremum
Attingens caput, omen habet nam triste sinistra,
Accipe ait Pater, & Natus de numine Numen
Quod spirant, infernus quondam ut cum irruet hostis
Inde tibi crescant dura in certamina vires;
Id toties iterans quoties novus advenit alter,
Submoto primo, simili donandus honore.
Inde stola applicita tunicam collo inserit almam,
Verba addens ritus dubium pandentia sensum:
Postremo librum (*s*) quem tangant exhibet illis,
Quo vocat injunctum officium & datus ordo monendo.
Hinc medii princeps cœtus (*t*) cui talia curæ,

d Pre-

(*r*) *Solus Pontifex manum dexteram extendens; ponit super caput cuilibet Ordinando; dicens singulis: Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus: in nomine Domini.* P.R.p.35.

(*s*) *Postremo Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens: Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei &c.* P. R. p. 36.

(*t*) *Archidiaconus præsentat Ordinandos (ordine Presby-*

Presbyteros coram sistens de more novandos
Hoc illos pariter testatur munere dignos.
Nec tamen hac Præsul dicentis voce movetur.
Pollicitisve fidem tantis accomodat omnem.
Res danda, atque operis gravitas nam reddit inertem.
At (*u*) veluti navi cum præficiendus in altum
Mittendæ rector, cœlo minitante procellam,
Est quoniam nautis, atque huic commune periclum,
Quæritur istorum quæ sit sententia primum,
Sic Præsul populi adstantis suffragia poscit.
Tum vero, quibus id licet, ex præsentibus obstet
Ut nemo, ad cœtum verso sermone sacrandum,
Dans vitæ monita exactæ, velocius ipse
Surgit, surgunt & reliqui, quibus ordine certo
Progressis, supra caput unus Præsul (x) utramque
Im-

sbyteratus) Pontifici.. Et Pontifex interrogat, dicens: Scis illos esse dignos. Respondet Archidiaconus: Quantum humana fragilitas nosse sinit &c. P. R. p. 38.

(*u*) *Pontifex annuntiat Clero, & populo dicens: Quoniam fratres cariſſimi, rectori navis & navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit.* P. R. p. 38.

(x) *Pontifex imponit simul utramque manum super*

Imponit tendens palmam, hoc & deinde seorsum
Presbyteri faciunt, propius qui altaribus adsunt,
Muti omnes, neque enim ritum hunc verba ulla, precesque
Turbant, devotam quippe ipsa silentia mentem
Implent, exercent intus quam mystica signa.
Post dextras cohibent suspensas, dum omnibus idem
Intentis fundit Præsul sacro ore loquelas.

Jamque adventantes sacratis vestibus ornat,
Nec linguæ parcens magni quid quæque recondat
Appositis monstrat verbis, & fervidus orat.
Postea ceu quidquam merito quod cætera vincat,
Instaret, facto eximium, ac mirabile dictu,
Suppliciter flexus (z), nudato & vertice mitra,
Auxilio poscit concepto carmine Numen:
Sancte veni qui cuncta novas huc spiritus oro,
Oro, veni, nostras veniens atque instrue mentes:

d 2 Pe-

---

per caput cujuslibet Ordinandi successivè, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra dicit: Oremus, fratres charissimi &c. P. R. p. 40.

(z) *Tunc Pontifex sine mitra ante altare conversus, flexis genibus incipit schola prosequente Hymnum:* Veni Creator Spiritus &c. P. R. p. 43.

Pectora, quæ tu cum Nato, & cum Patre creasti,
In melius renovans cœlestibus imbue donis.
Nec plura ille quidem, celebrat nam cætera densa
Voce chorus sacer, educta hic dum sede (a) quiescens
Pingui humore ipsis palmas perfundit olivi,
Quo, sacro infantes veniunt cum fonte lavandi,
Unguntur, prius illos quam pura abluat unda.

Scilicet incipiens extremo a pollice dextræ
Indicis excurrit properans ad summa sinistri,
Oppositoque iterum veniens e pollice, dextri,
Connectens ambos ductus, petit indicis oram,
Postea sed totas palmas communiter ungit,
Vota pium super his fundens flectentia Numen,
Illis quo donum poscit quæcumque sacrandi,
Quæ sacrare velint, & verbis reddere sancta.

Inde

(a) *Dicto primo versu, surgit Pontifex, & sedet in faldiſtorio cum mitra, & singuli Ordinandi successivè coram eo genua flectunt & Pontifex cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas; in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet à pollice dexteræ manus usque ad indicem siniſtræ, & a pollicè siniſtræ usque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet inungit: Consecrare & santificare digneris, Domine, manus istas &c.* P. R. p. 44.

Inde (b) manus cogens sparsus ne defluat humor,
Subjectæ dextra super incumbente sinistræ,
Nectendos cedit lemnisco albente ministris.
Interea totis indicta silentia tectis,
Jam venti posuere, silent liquido axe volucres,
Nec fluit unda levis, fluctus steteruntque tumentis
Oceani; geminos sed enim pavor occupat orbes,
Testanturque sibi jam præsens omnia Numen.
Vas (c) vini infusa rutilans producitur unda,
Pane tumens posito, cui lanx supereminet aurea.
Hæc magnos capiens Præsul sibi tradita in usus
Cunctis, cœlorum Regis quos destinat aris
Sacrificos, pariter tangenda ex ordine tradit:
Unde Sacerdotes existant, maxima summo
Reddita consilio generi quæ gloria nostro,
Idque opere, id verbis comitantibus indicat ille.

Mor-

(b) *Tum Pontifex claudit, seu jungit manus cuilibet successivè: quas sic consecratas aliquis miniſtrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet, dexteram super siniſtram alligat.* P. R. p. 44.

(c) *Pontifex tradit cuilibet successivè Calicem cum vino, & aqua, & Patenam superpositam cum Hoſtia, & ipsi illam accipiunt . . . Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre Sacrificium &c.* P. R. p. 44.

Mortalem quo facto hominem, mirabile, ab alto
Descendens cœlo invadit divina potestas,
Impressumque animo manet interiore (*d*) sigillum,
Fortius in dura incisum quam silice carmen,
Vis ut nulla virum, non ipse exscindere Præsul
Qui semel impressit, major seu quilibet alter,
Non longinqua ævo possit delere vetustas.

Tunc

(d) *Quæ hic dicuntur de sigillo, seu charactere supponunt sententiam illam, quæ docet materiam præcipuam seu essentialem, ut vocant, Ordinis Presbyteratus esse traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, prout clare eruitur ex Decreto seu inſtructione Eugenii pro Armenis, approbato a Concilio Florentino ubi dicitur per hujusmodi inſtrumentorum traditionem conferri Ordinem. Ex Pontificali Romano, ubi generaliter de omnibus Ordinibus aut dicitur, aut supponitur per inſtrumenta characterem imprimi, ut videre eſt in Rubrica de Ordinibus conferendis. Ibidem, illi ipsi qui ante calicis traditionem conſtanter vocantur Ordinandi, vocantur semper poſt eam Ordineti. Confirmatur hæc eadem sententia auctoritate Catechismi Romani, in quo hæc decretoria leguntur verba: Episcopus ei calicem cum vino & aqua, & patenam cum pane porrigens, qui Sacerdos Ordinatur, inquit: Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. Quibus verbis semper docuit Ecclesia, dum materia exhibetur, poteſtatem consecrandæ Eucharistiæ, charactere animæ impresso tradi.* Par. 2. c. 7. n. 10.

XXXI.

Tunc illi genibus flexis, librumque tenentes,
Unde Sacerdoti forma accipienda precandi,
Dum litat horrificam vultum conversus ad aram,
Pontificem audiri quæ possit voce sequuntur:
(Emissum ut quondam sermonem immobilis Echo
Ordine servato rerum percussa remittit,)
Reddentes totidem verbis prius edita verba,
Illa etiam quorum ad sonitum alti Rector Olympi
Indutus naturam nostram, indutus & artus
Se totum formis oculos fallentibus abdit.

Carnibus hinc agni, divino & sanguine pastos,
Confessosque fidem quam vera Ecclesia laudat,
Accitos iterum donis sublimibus ornat,
Namque illo orante, & capitis suprema tegente
Duplicibus (e) palmis, cœlo Deus en Deus ipse
Descendit, lecti quondam qui corda senatus
Fœcundo in flamma veniens implevit amore.
Atque ita quas recti incurrit mens devia culpas;
Su-

(e) *Pontifex imponit ambas manus super capita singulorum dicens cuilibet: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* P. R. p. 48. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem, non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum... anathema sit.* Conc. Trid. Ses. 23. can. 4.

Supremis numquam geniis concessa, potestas
Solvendi, haud metas agnoscens, traditur illis.
Tum sese (hoc animi submissi Præsule pignus
Poscente) obsequio (*f*) huic postquam addixere perenni,
Pauca monens sacri officii spectantia ritum,
Et verbo, signoque (*g*) dato bona cuncta precatus
Lætitia ingenti absortos permittit abire.

Nunc qua & pompa magna ad sacramenta paretur
Palladiæ baccis expressus succus olivæ,
Seu simplex, mixtum exhalans seu balsami odorem,
Versibus exponam nostris, remque ordine pandam.
Quinta ubi, perfectæ a Domino quam nomine cœnæ
Demonstrant, nigras terris lux dispulit umbras,
Accedit Sacrum facturus (*h*) Præsul ad aram
Veste super tunicam niveam spectabilis alba.

Præ-

(*f*) *Si suus est Ordinarius: Promittis mihi, & successoribus meis reverentiam, & obedientiam? Et ille respondet: Promitto*. P. R. p. 48.

(*g*) *Pontifex dat benedictionem* p. 49.

(*h*) *Pontifex venit ad Ecclesiam, ubi paratur ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris. Parant se etiam Ministri Pontificis, & ultra illos duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, omnes vestibus albi coloris Ordini suo* con-

Præcedunt, proprii unusquisque insignia honoris
Ostentans albo pariter distincta colore,
Ordinis extremi septem, atque ex ordine primo
Septem disjuncti officiisque, locisque ministri.
Hosque Sacerdotes bisseni, quot sibi vivens
Delegit Christus testes, sociosque laborum,
Excipiunt lento incessu, vultuque modesto.
Ipse agmen claudit Præsul mitra arduus alta;
 Ast ubi jam longe cedentis in ordine Missæ
Processum, tenet & sacram pia victima mensam,
Inde pedem retrahens sese ad loca proxima confert,
Sella ubi, (*h*) mensaque picturato instrata tapete,
Quem super attonsis radunt mantilia villis.
Hic sedet exterius Patrum cingente corona.

---

congruentibus. Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter. Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores &c. P. R. p. 331.

(*h*) *Paratur sedes in presbyterio, & ante ipsam mensa mappis ornata. Proceditur in Missa usque ad illum locum Canonis, ubi dicitur: Per quem, hæc omnia &c. Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio, & sedet super ipsam, circumſtantibus Sacerdotibus, & aliis paratis prædictis.* P. R. p. 331. & 332.

Tunc unus, (*l*) pingui plenam qui adducat olivo
Ampullam, illorum e numero, quos ordo ministros
Inferior tales septem legavit in usus,
Mittitur, huic geminus subjecto ex ordine custos
Additur, expectat Præsul, reliquique silentes,
Dum redeunt, pallor jejunis inficit ora.

Jam sciri ut valeat quem vas quodcumque liquorem
Contineat; quique huic proprii serventur honores,
Argento rem istam cælata inscriptio monstrat.
Sed caveas alio ne te actum mente animoque,
Dum properas, tituli affinis vicinia fallat
Ordine turbato vasorum, maximus error.
Sic vos Pontifices, propius quos cura sacrorum
Attingit, vosque o! juxta qui assistitis omnes
Huic avertendo damno vigilate frequentes,
Ne quondam versis rebus tabentia dulces
Exhalantum animas ungantur Chrismate membra,
Et contra eductos nunc primum ad luminis oras
Guttula perfundat tardæ servata senectæ;

Seu

(*l*) *Unus Subdiaconus ex septem paratis cum duobus Acolythis vadit ad Sacristiam, ubi accipiens ampullam Olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut invenit, portet*. P. R. p. 332.

Seu cum Pontifices, summo qui jure regendos
Suscipiunt populos, venient de more sacrandi
Æquentur, nectente dolum urna, infantibus illis,
Divini nondum tinxit quos unda lavacri.
Inde (*m*) procul diras formas, tenebrosaque monstra
Ire jubens orat, clausi ut secreta potenter
Spiritus invadens olei det pellere longe
Corporis oppressi cunctos, animique dolores.
Tali animas ægri utentur medicamine agentes.
His (*n*) actis Præsul repetens altare relictum
Instaurat cœptas votis ardentibus aras,
Supremo donec jam saucia cedat ab ictu
Victima, cœlesti gratissima victima patri.
Ipseque nec scissos compingens dentibus artus
Sanguineo admotis labris se proluat auro.
Bina locis sacranda supersunt vasa remotis.

 Con-

(*m*) *Pontifex surgens exorcizat, & benedicit illud. Deinde benedicit ipsum oleum. Oremus: Emitte, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum Paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ... ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates &c.* P. R. p. 333.

(*n*) *His expletis, Pontifex incipiens ubi dimiserat, procedit in Missa usque ad communionem corporis & sanguinis inclusivè*. P. R. p. 333.

Continet hoc simplex oleum, quo prima petentes
Sacramenta unges; illud sed Chrisma futurum.
Hæc (*o*) propter sedes linquit duodena virorum
Turba, Sacerdotes omnes ætate verendi,
Præcedunt sed quos geminato ex ordine euntes
Discreti bis septem habitu, officiisque ministri,
Hunc præter cunctos anteit qui templa vaporans,
Clara & qui facula primi vestigia servant,
Quos inter lino indutos crux eminet alta.
Hac pompa sacræ portantur munera olivæ,
Portatur suavem spirans & balsamum odorem.
Præsulis ut ventum ad sedem, mensamque paratam
Hinc (*p*) senis atque hinc Patribus discumbere jussis
Hujus defendunt consessu terga ministri.

La-

(*o*) *Duodecim Presbyteri, septem Diaconi, & septem Subdiaconi parati pergunt ad Sacrarium ad deferendum cum omni decore & reverentia Oleum Chrismale, & Oleum Catechumenorum. Incedunt autem redeuntes hoc ordine: Primo thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem ſequitur Subdiaconus Crucem, deferens medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus*. P. R. p. 334.

(*p*) *Sacerdotes duodecim parati duo cornua faciunt, ſex hinc, & ſex illinc, à lateribus aſſiſtentes Pontifici. Diaconi vero poſt tergum Pontificis, & poſt eos Subdiaconi parati stant*. P. R. p. 335.

Lacryma (q) prima preces ligni sudantis odora
Fert ſecum, ſanctum reddunt pia verba liquorem.
Poſt lentum adducto verſans ceroma catino,
Immiſcenſque oleum (unguen quippe tenacius illud
Fundo hæret patulo) nitendo diluit apte.
Conducti ut qui ære invalidis medicamina ferre
Corporibus, primo reſerata mane taberna,
Electos miſcent ſuccos, & pharmaca condunt.

Hic Præſul primus, Patrum cunctuſque ſenatus,
Ille ſedens(r), ſtantes alii, ut fert ordo ſedendi,
Os contra uncti vaſis ternis niſibus halant,
Nonnullis quæ res riſum novitate pudendum
Extorſit, cauſæ ſed quos latuere profundæ.
Hinc ſi quæ infeſti ſuperent contagia Ditis,
Succurrit vexans ſimulacra paventia (s) carmen:
Nec lingua interea ceſſat, nec vota precantis

Di-

(q) *Pontifex ante omnia benedicit ipſum balſamum.. deinde miſcet ſuper Patenam, vel in aliquo parvo vaſculo balſamum cum modico oleo de ampulla Chriſmali.* P. R. p. 336. & 337.

(r) *Sedet Pontifex, & halat tertio in modum crucis ſuper os ampullæ. Deinde duodecim Sacerdotes ſtantes ſucceſſivè eodem modo ſuper os ampullæ prædictæ halant.*

(s) *Pontifex dicit exorciſmum Chriſmalem.* P. R. p. 337.

Diluta (t) infundat Præsul dum balsama olivo.
Non aliud præsens novit pretiosius isto
Religio medicamen, sacro hoc fonte receptis
Ungitur extremus vertex, hoc ardua iisdem
Pontificum manibus cum se ad certamina dura
Disponunt, firmatur frons discrimen in omne.
Hoc aurei calices, & gemmea vasa, patellæ,
Æraque cogendis populis campana reperta,
Templaque marmoribus sectis constructa dicantur,
Pontificum hoc caput, hocque manus nituere recentum.
Hoc sine vix quidquam sacris in rebus habetur.
Tam clarum idcirco donum, quod plurima dona
Continet in se uno, Præsul (u), Patresque gradatim
Surgentem in cantum flexa ter voce salutant,

Au-

(t) *Pontifex balsamum cum illo modico Oleo mixtum commiscet S. Chrismati, reponens ipsum in ampullam Chrismalem, & dicens: Hæc commixtio &c.* P.R.p.339.

(u) *Pontifex capite inclinato salutat Chrisma dicens: Ave S. Chrisma. Et hoc secundo, & tertio facit, semper altius dicendo, quod postquam tertio dixerit osculatur labium ampullæ. Tum singuli duodecim Sacerdotes accedunt successivè, tertio in varia distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet vice semper altius dicendo: Ave sanctum Chrisma. Quo tertio dicto labium ampullæ reverenter osculantur.* P. R. p. 340.

Augentes resono ore tonos, atque oscula libant;
Jamque unum è cunctis superest de more sacrandum
Vas olei, nuda ungantur quo membra lavacro.
Idem hic servatur ritus, par ordo precandi;
Qui fuit, ægris unguen cum vitale paratum,
Sed variat verbis, adsunt quoque basia (x) casta,
Atque salutantum terno discrimine voces.
Hæc ubi solemni fuerunt jam more peracta
Sedibus inde suis sanctissima concio Patrum
Exsurgit, surgunt pariter reliquique miniſtri,
Præsule (z) deinde Sacri partem complente relictam
Et fingente crucem, recipit sancta actio finem.
Sed me jam longo defessum errore viai,
Materia renuente modos, labor accipit alter,
Indigenis nam quo divis in templa vocatis
Consuetum ritu tecti interiora sacrare
Dicendum, grave opus tantarum pondere rerum

Im-

(x) *Pontifex, & successivè duodecim Sacerdotes reverenter salutant Oleum ipsum, dicentes tertio: Ave sanctum Oleum. Et postquam tertio id fecerint, osculantur os ipsius ampullæ, prout supra de Chrismate positum est.* P. R. p. 341.

(z) *Pontifex redit ad altare, prosequitur Missam & dicto: Ite Missa est, dat Benedictionem p.* 14.

Digitized by Google

Impigre agendarum, & quod plures exigit horas,
Omnia quæ fando ſiquidem comprendere vellem
Deficient vires, animusque, dieſque canentem.
Pauca ergo e multis complectens carmine feſto
Summa ſequar ſinuoſi operis faſtigia tantum.

Sunt quædam, ſtans quæ templi extra limina Præſul
Exercet, quædam in parte interiore receptus.
Nam prius aſſiduis placato Numine votis,
Veſtibus intextis auro, mitraque decorus
Procedens, cleri & populi comitante caterva,
Exterius templum ter ductis (*a*) orbibus, atque
In ſua ſe circumvolvens veſtigia, oberrat,
Spargens rore levi, hinc baculo ter percutit ima (*b*)
Oſtia, voce gravi ſupremi nomine Regis
Præcipiens verſo reſerari cardine poſtes.

Nec plura, imperio clauſtris cedentibus, ipſe
Apportans domui pacem, æternamque ſalutem

In-

(*a*) *Pontifex impoſita ſibi mitra ſtans ante fores Eccleſiæ incipit circuire procedens cum Clero & populo, & aſpergens forinſecus parietes Eccl.* P. R. p. 175.

(*b*) *Pontifex ad oſtium Eccleſiæ appropinquans, percutit illud ſemel cum inferiori parte ejuſdem baculi paſtoralis, dicens intelligibili voce: Attollite portas principes veſtras &c.* p. 176.

Intro (*c*) se paucis sociis comitantibus inſert,
Paucis, observat limen nam cætera turba,
Succedat donec jam fine instante vocata.
Tum gressum media (*d*) reprimens testudine templi
Poplitibus flexis, sedique innixus eburnæ
Flaminis adventum divini postulat, inde
Surgens stat, chorus inceptum dum compleat hymnum.
Interea, hæc (*e*) unus cui cura injuncta minister
Plurima humum cineris siccati aspergine vestit,
Committens geminos ductus, quorum alter ab illo,
Quod læva ingreſsis cornu de parte minatur,

f Al-

(*c*) *Pontifex aperto oſtio intrat Eccleſiam ſolus cum miniſtris clericis, & choro, & cæmentariis dimiſſo ab extra Clero & populo. Ingreſſus autem Eccleſiam dicit: Pax huic domui.* P. R. p. 178.

(*d*) *Pontifex procedit uſque ad medium Eccleſiæ, ubi faldiſtorium paratum eſt, flexis ibi genibus, verſus ad altare majus inchoat ſchola proſequente Hymnum: Veni Creator Spiritus.* p. 179.

(*e*) *Interim unus ex Miniſtris ſpargit cinerem per pavimentum Eccleſiæ, in modum crucis, faciendo ex eo lineas duas, quamlibet latitudinis ferè unius palmi, unam ab angulo Eccleſiæ ad ſiniſtram manum per principalem portam intrantis, & aliam ab angulo Eccleſiæ ad dexteram manum intrantis* p. 179.

Alter ab hoc, partem adversam quod cuspide vexat,
Forcipis in morem medio junguntur apertæ.
Crassities palmo constat non amplius uno.
Hinc vario Præsul positu multa ante precatus,
Suspendit chorus argutis dum vocibus aures,
Incipiens (f) lævo e flexu, supplente papyri
Officium cinerum strato, pedi acumine summo
Græcia quæ reperit scribendo signa figurat,
Post dextro digressus cornu elementa latinæ
Efficiens linguæ, scriptum connectit utrumque.
Hunc morem nostri patres statuere tenendum,
Exemplo ut res muta esset græcisque, latinisque,
Has gentes, quamvis discordes ritibus, unum
Claro sub Christi signo componere ovile,
Sed quia (g) prima fidem suscepit Græcia veram,
Postea cui dociles sese adjunxere latini,

Hoc

(f) Pontifex incipiens ab angulo Eccleſiæ ad ſiniſtram intrantis cum extremitate baculi paſtoralis ſcribit ſuper cineres alphabetum Græcum. Deinde ſimili modo incipiens ab angulo Eccleſiæ ad dexteram intrantis ſcribit alphabetum Latinum ſuper cineres. P. R. p. 182.

(g) Evangelium prius prædicatum fuit Græcis, ſedente Petro Antiochiæ, in qua Civitate primum Diſcipuli, Chriſtiani fuerunt appellati.

Hoc ego crediderim scripturæ more vetuſto
Italicis formis præponi signa pelaſgum.

Atque utinam ut ſeſe grajs meliora ſequutis
Conjunxit Latium, noſtris sic recta profeſſis
Græcia adhæſiſſet, pacis nec vincula ſacra
Rupiſſet, toties (*h*) oblatæ vincula pacis.
Sed nunc in melius verſis ſpes proxima rebus
Argolicas ultro gentes ad mœnia magnæ
Venturas Romæ veniam, fœduſque precantes.
Jam gelida (*i*) Princeps deſcendens ſummus ab arcto,
Æquali cui non alio ſe Principe græca
Religio jactet, comes huic & Regia conjux
Neglecti quondam veniunt ad limina Petri,
Miranturque altam molem, mirantur & artem
Cuncta obſervantes oculis, nec corda tuendo

(*h*) *Poſt ſciſma Græcorum ſæpius tentata fuit utriuſque Eccleſiæ unio præſertim in Concilio Lugdunenſi, & Florentino.*

(*i*) *Quæ in hoc, & ſequentibus verſibus dicuntur de adventu ad Vrbem Romam magni Principis Moſchorum, & Sereniſſimæ ejus Conjugis, nec non de ſingularibus editis in ſummum Pontificem ab utroque Principe reverentiæ, & benevolentiæ ſiquificationibus, illuſtratione non indigent, cum per ſe ipſa ſatis illuſtria, & nota ſint.*

Expleri, aut illinc avelli corpora poſſunt.
Quin Romane pater (tantum tibi numen honoris
Aflavit vultu) ferres cum te obvius illis
Accurrunt læti, verbis blandiſque ſalutant.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque loquentem
Audire, atque novas veniendi quærere cauſas.
Præſertim cum jam hic Romanas linqueret arces
Longum iter Imperii primam facturus ad urbem
Currum aſcendentem votis, oculiſque ſequuntur.

Sed jam unde egreſſi, rebus ſic rite paratis
Quæ dixi, ſummæ Præſul vicinior aræ
Multiplici prece conſecratas ordine formas
Quatuor (*l*) immiſcet rerum, quarum altera præbet
Condimenta cibis guſtu vivace coquendis,
Altera ſuppoſitos ignes nube occulit alba,
Addit jucundæ vitis dona, addit & undam.

Tunc ille Aſcræo mentem velut excitus œſtro,
Frigidus haud aliter ſenſum quam ſi humor haberet
Collectum appellans imbrem, ſic incipit ore:

Sis

(*l*) *Pontifex accipit ſal, & miſcet cineri. Deinde accipiens pugillum de miſtura ſalis & cinerum ter emittit in aquam. Deinde mittit vinum in aquam ipſam.* P. R. p. 186.

Sis (*m*) virtute Dei sancta excelsi incola Olympi,
Sis, sancta o! Christi pedibus calcabilis unda,
Montibus oppressam quam nec fera claustra coercent,
Illisam aut scopulis gravis ictus frangere possit,
Arida nec tellus sitibundo absorbeat haustu,
Tu terras dorso, mundi tuque edita portas,
Nec tanto cedens oneri demergeris unquam.
Tu Cœli alta tenes, tu sola illota lavandi
Omnia virtutem tactu blandissima servas.
Tu sævum trepide Isacidis fugientibus hostem
Durati saxi in morem compressa recedis,
Vorticibusque iterum salsis resoluta sequentes
Involvis simili peditesque equitesque ruina.

Te

(*m*) *Pontifex dicit abſolute ſuper aquam prædictam: Sanctificare unda cæleſtis, ſanctificare aqua calcata Chriſti veſtigiis, quæ montibus preſſa non clauderis; quæ ſcopulis illiſa non frangeris; quæ terris diffusa non deficis. Tu ſuſtines aridam, tu portas montium pondera, nec demergeris; tu cælorum vertice contineris; tu circumfusa per totum lavas omnia, nec lavaris. Tu fugientibus populis Hebræorum in molem durata conſtricta es; tu rurſum ſalſis reſoluta vorticibus hoſtilem globum freto ſæviente perſequeris. Te per Moyſen percuſſa rupes evomuit, neque abdita cautibus latere potuiſti, cum majeſtatis imperio juſſa prodires: tu geſtata nubibus imbre jucundo arva fæcundas*. Cætera, si cui libeat, legantur in P. R. p. 182.

Te percussa vomit rupes firmissima, nec sic
Imperium saxo defensa subire recusas.
Cæruleam tu nubem implens terram alluis imbre
Fœcundo, per te reparant arentia vires
Corpora, tu dulces præbes sitientibus haustus.
Tu cæcas laxans venas gemmantibus herbis,
Ne nimio solis sata pinguia fessa calore
Reddere detrectent jacto de semine fructum,
Vitalem clam auram, faciles succosque ministras.
Sed quo, inquit, laudes celebrans abducor aquai?
Te nisi quod tua commendantes dona supremum
Auctorem rerum laudamus vocibus istis.
Tu ergo cunctorum qui fons & origo bonorum,
Nosque, domumque istam veniens melioribus undis
Ablue, prospera da cunctis, adversa repelle,
Hoste triumphato tenebroso lucis amicus
Angelus assistat tecti custodia, totum
Et mansura diu repleat pax aurea templum.

Hæc ubi dicta, sacrum ad limen (*n*) vestigia torquens

Posti-

(*n*) *Tum Pontifex accedit ad oſtium Eccleſiæ, & cum extremitate baculi paſtoralis facit crucem in parte superiori, & aliam in parte inferiori intrinsecus. Quo facto*

Postibus extremo baculo bis stemma salutis
Inscribit, procul ut vertentes terga recedant
Infandæ pestes, morbi, lethumque, laborque,
Et metus, & turpi noxæ contermina egestas;
Succedant vero securæ gaudia vitæ,
Incorrupta quies, & pleno copia cornu.

Quid referam ut lævi constructum marmore Præsul
Perfundit lymphis veniens altare repostis.
Nec satis est lymphis, oleo sed simplice primum,
Post etiam (o) medicato hoc multis partibus ungit.
Ossa virum sacram conduntur lecta sub aram,
Ingens quos vivos evexit ad æthera virtus,
Certando ob Christum gravia & qui vulnera passi,
Ut dum chara Deo cædetur victima summo;
Consistetque orans pariter cum plebe Sacerdos,
Adjungant nostris precibus sua maxima vota.

Tum

---

ctο prosequitur dicens . . . Inquietudo omnis & calamitas longe recedant. Inopia, peſtis, morbus, languor, ut ſemper hic lætitia quietis, gratia hoſpitalitatis, abundantia frugis, copiaque ſit ſalutis. P. R. p. 188.

(o) *Pontifex intingit pollicem dexteræ manus in ſanctum Chrisma, & cum eo ſignat confeſſionem, ideſt ſepulchrum altaris, in quo reliquiæ ſunt reponendæ. Deinde*

Tum ſupra (p), medio perſiſtens tramite, & infra
Ad dextram, ad lævam, frontem quaque exerit auream
Et qua decedens nigris ſol conditur umbris;
Qua mundus gelidum ad boream ſublimior alte
Conſurgit, premitur contra aut devexus ad auſtrum
Diluvium ſaliente manu profundit aquai:
Ut ventis quondam nubes luctantibus atra
Scinditur, effuſosque hac illac dividit imbres.

Janua (q) ad hæc nec non templi interiora notantur
Chriſmate, crux (r) latos muros duodena decorat,
Signa loci, totidem poſthac fuſo ære nitentes
Mens inferre cruces non ullis viribus ævi

Ceſ-

de recondit veneranter vaſculum ipſum cum Reliquiis. P. R. p. 206.

(p) *Pontifex aſpergit pavimentum Eccleſiæ per medium, incipiens ante altare uſque ad portam principalem, Deinde per transverſum, de uno pariete ad alium. Stans in medio Eccleſiæ aſpergit aquam per pavimentum, verſus Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum*, P. R. p. 195.

(q) *Pontifex intingit pollicem in ſanctum Chriſma, & cum eo in modum crucis, ſignat oſtium Eccleſiæ exterius*. P. R. *p.* 205.

(r) *Inungit chriſmate cum pollice dextero duodecim cruces in parietibus Eccleſiæ*. p. 216.

Cessuras, ætas quo discat ſera nepotum,
His templo sacris dignato reddere honorem.
Expletis bis sex quoties hinc mensibus orbis
Decedet, læti hæc recolentes festa minores
Annua (*s*) vota Deo, solemnesque ordine pompas
Restituent, sternentque suis altaria donis.

Sed nos jam vastum dimensos cursibus æquor
Admonet inventus paulum requiescere finis.

(*s*) *Celebratur ſingulis annis ſolemni ritu dies Dedicationis, ſeu Conſecrationis Eccleſiæ.*

LIBER SECUNDUS.

Nunc age qua tandem populis ratione receptus
Mœnibus, hoc tanto dignus qui nomine Paſtor
Advigilet, quibus & jussis sibi stringere turbam
Subjectam propius curet, ne forte vagantes
Aut lupus, aut mediis veniens e saltibus ursus
Ore abducat oves lanians, aconitave sæva
Inficiant læto furtim gliscentia campo
Dicendum, nostri quæ pars est altera cantus.
Ille quidem celsa residens secretus in aula,

Hinc-

Digitized by Google

Hincque oculos longe vigiles, curasque sagaces,
Balantum ut quondam saxi de vertice custos,
Extendens agro, sparsum speculatur ovile,
Aut etiam pecoris si quando id damna requirant
Depressas valles cursu, & juga celsa pererrat,
Devia quæque iter ad rectum qua sibilo amoris,
Incusso qua etiam pœnis terrore reducens.
Non tamen hic quamvis animi virtute, parata
Et doctrina ingens vulgi sermone feratur,
Ingenitis adeo confidet viribus, æquum
Tanto unum ut se oneri credat, sed muneris hujus
Partem aliis faciet, quos patrum ex ordine toto
Asciscetque sibi socios, operisque ministros.

Ac primo fidei invictæ, vitæque probatæ
Consiliisque gravem, juris scriptique peritum
Eliget e multis (*a*) aliquem, quocum ille molesti
Imperii curas securus dividat omnes,
Quique vice ipsius leviora negotia solus (*b*);
Expe-

(*a*) *Vicarium . . . qui saltem in jure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus*. Conc. Trid. *agens de Vicario Capitulari* Ses. 24. c. 16.

(*b*) *Post Episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus*

Expediat, sibi nam Præsul majora reservat (c).
Præcipue hic dubias causas, quæ more forensi
Tractandæ crebro occurrent, & crimina sæva
Cognoscit, retegitque dolos, subigitque fateri,
Justitiæ vindex læsæ, scelerumque repressor.
Idcirco, huic quamquam nec certo indulta potestas
Sit conclusa loco, spatii nec noverit ullas
Metas, æquales vires sed prodat ubique,
Haud ille excurrit longe, nec deserit urbem.
Quin sanctum potius servans, castumque tribunal
Huc e diverso venientes excipit aula
Interiore, audire, & respondere paratus.
  Hujus ad exemplum majora per oppida certos,
Adversas qui inter partes jus dicere possint,
Constituet, quorum sed circumscripta potestas
Non multis causis, vasto non æquore terræ
Profertur, gravius si quid contingat, eidem
Vnde hæc ducta fuit factum contenta referre,

Et

bus . . & delinquentium rationem coram Deo redditurus est, Cap. *Vt Archidiaconus . De Officio Arch.*

(c) *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus .* Cap. *Cum De officio Vicarii in* 6.

Et Domini interèa juſsa expectare silendo .

Illis antiquarum etiam custodia legum,

Quas sancte servent omnes, censuraque morum

Commissa, exempli si quid cessantibus ipsis

Damnandi ruat in plebe haud impune futurum,

Subjecta hinc regio, urbs quoque, necnon oppida cuncta,

Magnam quæ populi turbam intra mœnia claudunt,

In varias, ceu fert numerus majorve, minorve,

Decedunt partes, illis sed curia (*d*) nomen,

Prisca ætas in re simili quo dicitur usa,

Vnde etiam gentis Rector nunc Curio dictus.

Pontifici propriæ hic intra confinia curæ

Pascendo servit populum, pariterque docendo,

Sacra ministerii quo lex vocat ire paratus.

Hos præter plures alios de gente togata

Seu claustro inclusi vivant sub legibus arctis,

Seu proprii arbitrii, rerumque, domusque potentes,

Censuræ sed quos vulgi vita eximat, almis

Vir-

(*d*) *Nomen Curiæ & Curionis, quo Romani utebantur in divisione populi, recte accomodatur Parochiis, & istarum Præfectis, vulgo Parochis*. Curiones qui Sacra publica pro Curiis suis curarent, fere ut hodie Parochos quos vocant. Nieupoort Ses. 6. cap. 2. §. 7. de Curionibus.

Virtutum exemplis splendens, sanctoque receſsu,
Deligit, auxilio ut sibi sint in munere tanto,
Augusta vel cum defixi in sede vetustis
Excipiunt homines vitiis, culpisque gravatos,
Postea quos intus mutatos crimine solvant;
Sublimi vel cum verba ex ambone sonantes
Delictis tensa oppressos in retia ducunt;
Officiis dum alii quos a majoribus arcent
Aut vires graciles, incultæ aut mentis egestas,
Devotas curant aures mulcere canendo,
Atque operam populo poscenti ferre litando.

Omnibus his Præsul cuncta ut qui sustinet unus
Jura (e) potestatis virtutem præstat agendi.
Qualis ubi medio positus fons arduus agro
Vivaces plantis succos, halitusque ministrans
Multiplici pingit viridaria læta colore:
Alta tenens cursu rapido seu Phœbus Olympi
Vibrata ut tetigit cedentia sydera luce,
Septenos facit ex uno consistere soles.

Horum præsidio, & curis vigilantibus ergo

g 2 Dif-

(e) *Episcopis præcipua omnium rerum agendarum auctoritas*. Conc. Trid. Ses. 25. c. 6.

Diffusum late Pastor moderatur (*f*) ovile.
Nam pravi si quid forsan consurgere moris
Contingat, sancta ut si adversus jura fidemque
Commaculet vetitos thalamos vesana libido,
Conjugii aut si quos contracti pacta tenebant
Discedant casti neglecta lege cubilis;
Vel contra nexus qui nec subiere jugales
Suspectos deprensi inter se volvere amores,
Tristibus aut odiis scindat discordia cives,
Ille equidem in regione loci qui sacra tuetur,
Talia ubi rerum perversa exempla adolescunt,
Ante malum sanos quam se diffundat in artus
Occurret, medicasque manus, & pharmaca blanda
Inducet, quæ ni prosint adhibebit amara.

Sin

(*f*)*Episcopus in ordinatione Presbyterorum loquens cum Deo in quadam oratione disposita ad modum præfationis sic ait: Cum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adjumentum, sequentis ordinis viros, & secundæ dignitatis eligeres.. Apostolis filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine quæsumus, hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus*. P. R. p. 41.

Sin minus hic, toti alter vel qui præsidet agro
Pastoris vice, præsentem compescere pestem
Haudquaquam valeat, morbi curatio quippe
Difficilis vires majores poscit, ad ipsum
Pontificem sceleris formam, causasque referre
Curabit, summus Præsul quodcumque jubebit
Facturus, peccantes vel si id curia poscat,
Carcere mactandos pœnisque remittet in urbem.
    Nec minus ex illis, Præsul quos ordinis ipse
Custodes posuit si quid peccaverit unus,
Alterve, est equidem nemo nam criminis expers
Corpore mortali vivens, sed labimur omnes
Quandoque, ad se delatum haud impune relinquet.
    At ne sublatis matura morte ministris
Doctrina desint juvenes, & moribus apti,
Ducendo deinceps operi quos subroget isti (g),
Erigitur cœlo sectis domus alta columnis,
Spem gentis lætam, fœtus ubi ponat adultos,

(g) *Hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit*. Conc. Trid. Ses. 23 c. 18.
In hoc Collegio recipiantur, quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inservituros. Conc. Trid. ibidem.

Huic se qui vitæ generi addixere volentes,
Respuit hæc quoniam mitis cultura coactos,
Præcipuum a teneris impendens jam inde laborem.
Cecropias ut Pastor apes, quo mella repostis
Deponant fabricata favis per florea rura;
Colligit errantes, textisque alvearibus abdit.

Uni (*h*) cura viro cunctorum cedit, honestis
Qui sit moribus, & rerum spectabilis usu,
Quique patris referens vultu, factisque vigorem
Jucundo condat gremio pia viscera matris.
Ille operum custos proprium unicuique laborem
Partitur, quibus & studiis intendere vires
Debeat, & quos e multis audire magistros:
Est (*i*) schola namque domi discendo, suntque magistri,

Un-

(*h*) *Si qui in Clero impuberes, aut adolescentes exiſtunt, lubricæ ætatis annos in disciplinis eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo Seniori, quem & magiſtrum disciplinæ, & teſtem vitæ habeant*. Conc. Tolet. 4. can. 23. Relat. c. 12. q. 1. cap. *Omnis ætas*.

(*i*) *Grammatices, cantus, computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent: sacram Scripturam, libros eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, & cærimoniarum formas ediscent*. Conc. Trid. Ses. 23. c. 18

Unde gradatim mens omnes exculta per artes
Proficiat, rebusque olim proludat agendis.
Præcipue ut mores casti serventur, & ardens
In superos pietas, quæ virtus unica sensim
Dispositis animis virtutes inserit omnes,
Sollicitus curat per se, lectosque ministros.
Quippe omnis juvenum in varios divisa (*l*) maniplos
Turba suis paret ductoribus, agnita quos et
Virtus, annos & superans solertia mentis
Longum tentatos hoc dignos reddit honore.
Custodes hi, servatique per omnia testes
Ordinis egressos ducunt, pariterque reversis
Assistunt, tacita seu cum labor improbus aula
Exercet, fessi ludo seu membra relaxant,
Aut cum jam thalamis se composuere paratis
In noctem, lassosque gravis sopor occupat artus.
Interea si quis rectis obstare putetur
Moribus, aut alios vexet petulantibus ausis,
Sponte loci illum Rectori deferre tenentur,

h 2 Qui

(*l*) *Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum*. Conc. Tr. Ses. 23. c. 18.

Digitized by Google

LX.

Qui prius auditis animo patiente querelis,
Sive etiam proprio noxas perceperit ipse
Sensu, jus meritis reddit, plectitque nocentes.
Nec tamen in pœnis quidquam crudele, nec illi
In tristem erumpent diro sub verbere fletum.
Neu tumido referent liventia corpore signa.
Ut decet ingenuos, & quos altaria sancta
Converso tandem poscunt sibi cardine rerum.
Indociles (m) sed quos monitis, jussisque rebelles
Inveniet tenuata cibo jejunia frangent,
Aut etiam admissas culpas, errataque vitæ
Affixi terræ genibus, vultuque rubenti,
Auribus excipient pronis, dum cætera turba
Accumbit mensis epulans, seu quæ ultima pœna,
Divisi procul a sociis, & carcere cæco
Inclusi longum soli mœrere jubentur.
Sæpius at si quem haudquaquam hæc repetita juvabunt.
Callum quippe animo obduxit, nec jam amplius ulla
Mutandæ manet in melius fiducia vitæ,
Seu mala cum scabies correptam de grege sano

Unam

(m) *Dyscolos, & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient.* Conc. Trid. Ses. 23. c. 18.

Unam turpat ovem, totum ne noxia pestis
Inficiat pecus a stabulis expellitur altis:
Haud aliter, primum consulto Præsule, longe
Limine (*n*), colloquioque aliorum arcebitur ille.
Dedecus æternum portans generique, sibique.
His positis ordo quibus & constantia vitæ
Firmetur fausto procedunt omnia cursu.
Namque illi ut primam lucem referente diei
Aurora, ignavum procul excussere soporem,
Attenta Numen supremum mente precati,
Assistunt (*o*) Sacrum acturus dum perstat ad aras
Singula discretim depromens verba Sacerdos.
Atque ut surgentes stratis oratio sancta
Excipit, atque aliis eadem se plurima miscet
Actibus, haud aliter fessos revocata cubili
Infert, principium sacrans, finemque diei.
Præterea ad mensam pastu cum corpora curant
Excipiunt aures supremæ verba salutis.
Otia festa dies (*p*) sed cum majora reducet
Di-

(*n*) *Eos etiam, si opus fuerit, expellendo*. Conc. ib.
(*o*) *Curet Episcopus ut singulis diebus missæ sacrificio intersint*. Conc. Trid. ibid.
(*p*) *Cathedrali, & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant*. Conc. Trid. ibid.

Digitized by Google

Diviſis varie officiis, dum ſancta miniſtri
Munia perficiunt templi, ſtatque hoſtia munda,
Angelico ritu tunicis candentibus aptos
Circum aras ædis ſummæ volitare videbis.
Anguſto (q) hinc fugitivi exacto temporis orbe,
Admiſſas poſtquam culpas, animumque piarunt,
Purgata Divum reparant convivia mente;
Unde ætas juvenum cœco quo carpitur igne
Extincto, tantum cœleſtem ſpiret amorem,
Tum labor impenſus ſtudio ſuccedit honeſto,
Laxandiſque quies animis inventa ſeveris (r),
Argutique joci, variati & gratia luſus,
Orbiculis ſeu quem delectet ludere ligneis,
Seu pila delectet potius, diſcive, trochive,
Tum torto in gyrum volitans ſub verbere turbo;
Æquales ſaltu aut agili ſuperare ſodales.
Sublimem at quoties lux alma retexerit orbem,
Ac ſudo incedet ſolis fax aurea cœlo

Tur-

(q) *Saltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & juxta Confeſſoris judicium, ſumant Corpus Domini N. J.* C. Conc. Trid. Ses. 23. c. 18.

(r) *Deſcriptio ludorum, qui permitti ſolent in Seminariis.*

Digitized by Google

Turmatim extra procedunt, gravibusque soluti
Curis liberius campo spatiantur aperto.
  Cedentis cum vero anni felicior ætas (s)
Sublato terræ partu vasta horrea complet,
Et lectæ summis pendent e vitibus uvæ,
Quisque domo gaudens patria, mensaque receptus,
Insidias aptare avibus, si rustica villa,
Aereosve actis scalis deponere nidos
Intentus, stupidos hamo seu fallere pisces;
Sin erit urbs, agitans ludo cum fratribus horas,
Innocuam posita ducet formidine vitam.
Sed jam maturos studiis instante Novembri
Lex immota omnes opera ad solemnia poscit.
Legitimo donec completo temporis orbe
Arbitrio vivant proprio, dignique reperti
Ad sacra Pastoris contendant munia nutu.
  Prima horum cura, reliquos nec negligit idem,
Quos tota late sparsos regione, sacrorum,
Deposito jam crine, avidos cognovit honorum.
Festa dies positas populum cum cogit ad aras,

Et

(s) *Vacationes Autumnales.*

Digitized by Google

Et vacat a studio, in templo, quod destinat illis (t)
Præsul, rebus divinis assistere vultu
Composito, impigramque operam præstare jubebit.
Ast ubi majestas urbis, clerique minoris
Copia permittet (u), summo de mane diebus
Festis, quovis a strepitu, turbaque profana
Discreti, huic omnes operi ad conclave paratum
Accurrunt, Numen modulante ubi voce precati,
Aut etiam quibus hæc fuerit tam sancta voluntas,
Divinis pasti inculpati carnibus agni,
Dicenti mediam vario sermone per horam
Submittunt dociles aures, & mollia corda.
Ille equidem vitio virtus qui differat, & quo
Quæque homines studiis divisos semita ducat
Edocet, hinc quales Divum delubra ministros,
Quamque pudicitiæ spectandos laude requirant,
Tum quibus officiis majestas summa colenda,
Qua

(t) *Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat. &c.* C. Trid. Ses. 23. c. 6. *Subdiaconi, & Diaconi ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant.* ibid. c. 13.

(u) *Optandum esset, ut hæc Clericorum extra Seminarium degentium institutio, quæ aliquibus in locis viget, ubique observaretur.*

LXV.

Qua mente & deceat sacras accedere ad aras,
Natus chara patri stabit cum victima, monstrat.

Præterea nullum longo jam tempore quamvis
Excultum, per multa atque argumenta (x) probatum
Ad sacri admittet Præsul consortia cultus,
Quem non longa dies, crebra & meditatio rerum,
Quæ superant sensus, arcti intra claustra recessus
Titanis decimum non castigarit ad (z) ortum.
Nec vero ad tantum quos ille evexit honorem
Permittet limo hærentes ignobilis oti

i Uti-

(x) *Ad minores ordines promovendi, bonum a Parocho, & a magistro scholæ, in qua educantur testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita a fide dignis diligenter inquirat*. Conc. Trid. Ses. 23. c. 5.

Episcopus sacerdotibus, & aliis prudentibus viris peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet. Ibid. c. 7.

(z) *His omnibus addi debent ex decretis Summ. Pontif. pro ordinibus majoribus decem dies Exercitiorum*.

Utilium vacuam studiorum ducere vitam.

Hinc cœlo educit quoties nova cornua luna,
Sæpius aut etiam, (*a*) secreti ad limina tecti
Dicere de morum dubiis multum ante paratos
Quæsitis, Cleri numerosum convocat agmen.
Ipse movens urnam, quorum sors arbitra nomen
Prodiderit, fari jubet, & responsa reposcit.
Ordine cuncta suo, hinc facta silentia linguis,
Dum unus, delegit facinus quem Præsul ad istud,
Perspicuo sermone aliorum dicta retractans,
Quæ melior, pugna in tanta, sententia monstrat.

Nec minus æterno Numen quæ maxima nobis
Consilio, chartis monumenta expressa reliquit,
Ignorare suos animo patietur inerti,
Pandentem quare hæc certis de more diebus

An-

(*a*) *Operæ pretium ducant Episcopi, omnemque curam; ac diligentiam adhibere non desinant, quousque Congregationes, tum in Civitatibus, tum in Diœcesibus, per omnes de Clero, Sacris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confessarios, semel in unaquaque hebdomada, certoque designando die, habeantur, in quibus alternatim, & Rituum, & conscientiæ casus proponantur.* Conc. Rom. Tit. 15. cap. 9.

Antiquorum Patrum ex mente (*b*) audire jubebit.
Tracturi unde illi lumen, roburque supernum,
Exemplo possint alios, verbisque juvare.
Artibus his, Patris, & Nati quas mutuus ardor
Sanctis Præsulibus magno inspiravit amore,
Sæcula cesserunt postquam jam ferrea terris,
Præsenti tanta accessit reverentia Clero.
Antiqua labe abstersa venalia cuncta,
Qua pia dona Dei, manans atque inde potestas
Mercedi, horrendum! fuerant subjecta profanæ;
Nec puduit voti constrictos lege patenter
Impuræ fomitem tectis inducere flammæ.
Sed meliora Deus, nusquam jam talia, nusquam
Cernuntur, pietas doctrinæ juncta, pudorque,
Ritibus addicti sacris laus maxima cœtus.
Auribus at ne animum haud raro fallentibus, æquo
Plus nimium fidens alieno cuncta relatu
Discat, quæ per se Præsul cognoscere posset,
Vere novo constricta gelu cum viscera pandit

(*b*) *Ecclesiarum proinde tum Cathedralium, cum Collegiatarum Dignitates, & Canonici, Parochi itidem & Confessarii . . sacræ Scripturæ lectioni, diebus & hora ab Episcopo præfigendis omnino interesse teneantur.* Conc. Rom. Tit. 1. cap. 9.

Tellus, autumnus rabidum aut cum ſolverit æſtum,
Lectis cum ſociis, nec grandi adeo comitatu, (c)
Hoſpitii evadat gravior ne impenſa colonis,
Oppida percurrit (d) luſtrans, villaſque remotas.
Progreſſi excipiunt (e) venientem, dum ærea ſigna
Dant lætum percuſſa ſonum; atque impulſa reſultant:
Ille petit recta templum, denſiſſima turba
Quem cingit, portiſque viam ſibi ſternit apertis.
Jamque ubi velatum candenti tegmine Numen
Suppliciter (f) venerans Divos in vota vocavit,
Collecto populo veniendi ex ordine cauſas
Exponit, (g) percepta Patrum quas regula firmat.
Hinc

(c) *Ideoque modeſto contenti equitatu, famulatuque, ſtudeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſolvere.* Conc. Trid. Seſ. 24. c. 3.

(d) *Epiſcopi propriam Diœceſim per ſe ipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem Vicarium aut Viſitatorem, ſi quotannis totam, propter ejus latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant.* Ibid.

(e) *Recipitur proceſſionaliter.* P. R. Ordo ad viſit. p. 398.

(f) *Prælato ante altare in faldiſtorio genuflectente, dicitur oratio.* p. 398.

(g) *Deinde verſus ad populum ſedens proponit populo*

Hinc illo tumulata loco quorum oſsa quieſcunt
Contractis culpis, & pœnæ pondere ſolvit (*h*),
Præterea ſancti qualis cuſtodia doni (*i*);
Qui cultus; vaſis quæ cura impenſa ſacratis,
Integra ne, an ſcabris bullis contuſa tumeſcant;
Attritu ve aliquam dent rimam exeſa frequenti (*l*).
Præterea (*m*) an triplici defenſa altaria lino,
Immotusque lapis, ſacrum & ſatis amplus ad uſum
Cætera num recte inſtructa & bene munda ſupellex
Conſiderans, oculis vigilantibus omnia luſtrat.

Tum (*n*) quali, officii quibus hæc pars credita tanti,
Acciti ſtudio ſacra dona petentibus adſint,
Arcanæ & fidei pueris elementa tenellis,
Et vitæ cunctis tradant præcepta modeſtæ
Sedulus inquirit, cætus qui deinde ſacrati

Sint

---

pulo cauſas adventus ſui, quia ſacri canones hoc fieri præcipiunt propter multa. Pont. R. p. 398.

(*h*) *Primò ad abſolvendas animas defunctorum*. Ibid.

(*i*) *Incipit viſitationem a SS. Euchariſtia* P.R. p. 403.

(*l*) *Videat Eccleſia quomodo ſe habeat in ornamentis*. P. R. p. 398.

(*m*) *Ad Altaria & Capellas ſe confert*. p. 403.

(*n*) *Qualiter ibi Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrantur, quale ſervitium ibi impenditur*. P. R. 398.

Sint (*o*) mores, imam quæ turbent crimina plebem.
Productis etiam libris, an cuncta seorsim
Sint signata locis, signari ut postulat usus.
Anne opere illorum fuerit completa voluntas,
Qui certis Clerum morientes ære relicto
Muneribus (*p*), fixis quæ olim peragenda diebus,
Addictum voluere, pios aut plurima in usus
Fraudato proprio hærede expendenda dederunt,
Scrutatur solers per sese, aliosque peritos;
Hæc inter, peccans quodcumqne a tramite recto
Ire procul cernit (*q*) festinus corrigit, atque
Longe, si possit, morbi removere periclum
Optans, temporibus scribit decreta futuris.
Nec voci parcit, tota nam gente coacta
Alloquitur placidis coram sermonibus omnes

Ex-

(*o*) *Qualis sit vita Ministrorum, & populi* P. R. p. 398.
De libris diligenter de plano inquirit. P. R. p. 403.
(*p*) *Qualiter divina officia peraguntur* P. R. p. 398.
(*q*) *Visitationum scopus . . bonos mores tueri, pravos corrigere, cætera prout locus, tempus, & occasio feret ad fidelium fructum constituere*. Conc. Trid. Ses. 24. c. 3.
Populum instruit in Ecclesiasticis Sacramentis & in Articulis fidei. P. R. p. 399.

Exponens fidei sanctissima dogmata nostræ,
Quilibet ætatis quæ scire tenetur adultæ.
Tum quæ divinis fuerit vis addita signis,
Qualia septeno numero servanda reliquit
Electo Christus populo, quæ forma, quis usus,
Sollicitæ quanto & mentis tractanda timore
Persequitur, multis siquidem quæ causa salutis,
Perpetuæ fuerunt aliis contempta ruinæ.
Hinc (r) puræ incipiens describere gaudia vitæ,
Mordacesque reæ mentis curasque, metusque;
Quæ scelerum pœnæ, quæ debita præmia justis,
Et quo quæque modo fugienda, tenendaque monstrat.
Tunc etiam ignavam in sobolem, quam plurima noxa
Dulcibus illecebris animos ingressa subegit,
(Quandoquidem patris non ullæ extinguere culpæ
Sufficiunt ignem) tenero conversus amore,
Ut veterem vitam damnent (s), & crimina sæva

De-

(r) *Visitationum scopus-..populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere*. Conc. Trid. Ses. 24. c. 3.

(s) *Inducit diligenter populum ad pœnit.* P. R.. p.399. *Protestans plebi, quod si quis, vel si qua in aliquo ipsorum casuum, qui de jure, vel consuetudine ad Episco-*

LXXII.

Deponant, rigidi laxatis juris habenis,
Hortatur, facilis veniæ spem pignore firmans.
Ipsum seu quis adire velit, seu forte paratam
Poscat opem alterius, secretas cujus in aures
Ægrotæ malit sensus immittere mentis,
Sic in amicitiam adductos, & fœdere firmo
Conjunctos Domino sanctis altaribus adstans.
Ipse suis manibus Divino munere pascit.

Nec si quos (t) lecto diri vis tabida morbi
Affixos sacris longe conventibus arcet,
Seu malesuada gravi stringit sub pondere egestas,
Negligit, ast illis patienter ferre dolores
Immissos, certa ut divini pignora amoris,
Appositis verbis, promptam & sperare salutem
Supremis suadet Divis in vota vocatis.
Nec minus argento, quod non abscondet avare
Sacra manus, solatur & hos, & sublevat illos.
Exustam rabido terram ceu sydere nubes
Desuper immenso veniens rigat agmine aquarum.

Hinc

---

scopum dumtaxat pertinere noscuntur, vel in quocumque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire, & consilium, & absolutionem impendere. Ibidem.

(t) *Se confert ad hospitalia & alia loca pia.* P. R. p. 493.

Hinc color amiſſus pratis, hinc gloria campo
Prima redit, turget foliis, & fructibus arbos:
Haud aliter, plebes disjunctas Præsule quondam
Viſente, accedit lapſis nova gratia rebus.
Interea populi tota dum mente saluti
Incumbit, tectum, ducendæ alimentaque vitæ
Præstabunt quibus hæc cura impertita, laborque.
Sed nihil id præter (*u*), seu a donantibus ille
Accipiet, tecto illatum quod splendeat alto,

k Ser-

(*u*) *Caveant, ne ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione ... nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, exceptis tamen victualibus, quæ ſibi, ac ſuis frugaliter, moderateque pro temporis tantum neceſſitate, & non ultra, erunt miniſtranda. Quod ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius accipere præſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis juxta conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit: Exigit, abſque ſpe veniæ mulctetur.* Conc. Trid. Ses. 24. cap. 3.

Pœnæ citatæ Conſtitutionis: Exigit, *contra recipientes munera ſunt, altera quidem Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ contra Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos duplum ipſum ultra menſem reſtituere differentes, ſuſpenſionis vero ab officio, & beneficio contra Inferiores, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberatione, ſeu gratia valitura.* Cap. Exigit in 6. de Cens. & Ex:

Servatum aut lautæ decoret convivia menſæ,
Id quoniam fieri prohibent ſanctiſſima jura
Decreti oſores pœna plectentia dupli.
Æſtivam ut gregibus paſtori rure bidentum
Curam impendenti permiſſum lacte recenti
Pleno uti arbitrio, ſed non preſſum inde licebit
Aſportare domum ſuccum candentis ovilis,
Villoſam tonſa aut lana ſibi texere veſtem.
Nec minus hoc agris ſtudium quod præſtitit, urbi
Attribuens templa idem & religioſa domorum
Septa adit, cuncta in melius collapſa reformans.
  Quæ poſtquam Antiſtes vaſto compleverit orbe
Cum jam morborum cauſæ, fibræque pateſcunt,
Unde gregi major clades, damnumque minetur,
Concilium plenum (x) indicit, primoſque ſuorum
Imperio accitos ſacra intra limina cogit.
Ille ſedens medius poſtquam jam cuncta peregit
Pontificum quæcumque liber præſcribit agenda,
De variis Cleri officiis, morumque ſalubri
Cenſura, fert ut tempus, per pauca locutus,
Haud

(x) *Synodi Diœceſanæ quotanis celebrentur*. Conc. Trid. Ses. 24. c. 2.

Haud pridem deſcripta domi decreta legenti
Ut ſenſu, utque animis adſint hortatur amice,
Auditis, illorum quæ & ſententia quærit,
Dans libertatem fandi quæcumque ſaluti
Commoda communi credent, nullumque repellens.

Et (y) quamquam ſibi jus conſtet quæcumque jubendi
Quæ in commune bonum ratio ſtatuenda ſuadet,
Non tamen hic cœtus veluti decreta coacti
Juſſum aliquod prodet, quod non conſenſio Patrum
Solemni mentem verbo teſtata probarit.
Tunc aliquot toto e numero quos plura viritim
Præclari cœtus ſuffragia lecta juvabunt

(y) *Invaluit apud multos opinio, quæ ſub magni nominis umbra majores in dies vires adquirit, Statuta Epiſcopi in Synodo edita ſine iſtius approbatione, aut forte contradicente majore illius parte poſſe vim decreti Synodalis obtinere. Quæ tamen opinio falſitatis arguitur, quod Pontificale Romanum de Ordine ad Synodum, Patrum non ſolum conſilium, ſed etiam conſenſum, ſeu approbationem exigat, ut Epiſcopi Conſtitutiones Synodale robur habeant.* Leguntur, *inquit*, Conſtitutiones per Synodum approbandæ; quibus lectis, habito ſcrutinio, quæ placent, per Patres confirmantur. *p.* 354. *Et iterum*: Leguntur Conſtitutiones, ſi quæ ſunt per Synodum approbandæ: quibus lectis, & per Patres, ſi placet, confirmatis *&c. p.* 357.

Conſtituet (z), poſitis qui odiis, animique favore
Pulcrum ubi plures optantes ſibi cedere munus.
Præripuit dudum quod mors crudelis habenti,
Contendunt inter ſe, æquali pondere vires,
Doctrinæque decus, vitæ ornamentaque librent.
Hos Præſul ſimilis quoties contentio nata
Cenſores ſecum meritorum adhibere tenetur,
Ni faciat caſſus labor omnis, & irritus actus.
Tum quibus ancipites Urbs mundi regia cauſas
Committat (a), recipit talem nam Curia legem,
Sciſcendi conſtat patribus firmata poteſtas.
Scilicet illorum pulcherrima nomina Romam
Mox delata, illic caſus ſervantur in omnes.
Atque his perfectis iterum ſermone reſumpto
Multa quidem Præſul ſacri ſpectantia mores
Ordinis inculcat, ſolioque avulſus ab alto
Surgit, Preſbyteri medium quem ad limina ducunt.
Mos

(z) *Examinatores ſingulis annis in Diœceſana Synodo ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur*. Conc. T. Seſ. 24. c. 18.

(a) *De Judicibus in Synodo deſignandis, quibus cauſæ eccleſiaſticæ in partibus delegandæ a Sede Apoſtolica committantur*. vide Seſ. 25. c. 10.

Digitized by Google

LXXVII.

Mos fuit antiquus Nicæna lege probatus (*b*)
Non prius integrum cœlo delabier annum
Quam semel, atque iterum primæ intra septa coirent
Urbis, quotquot habet gentis Provincia Patres,
Præsule ad hunc conventum alios majore vocante.
Edita sed nuper firmissima jura Tridenti
Ternos permittunt congressum ducere in (*c*) annos.
Ingens tanti olim fuerat reverentia cœtus,
Parque etiam Majestati concessa potestas,
Omnes quippe datum scelerum discernere formas (*d*),
Atque gradu percepto ob causas jure probatas
Sic meritos tristi exemplo (*e*) deponere Patres.

At

(*b*) *Placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno concilia celebrari*. Conc. Nicæ. c. 5.

(*c*) *Metropolitani quolibet saltem triennio non prætermittant Synodum in provincia sua cogere*. Ses. 24. c. 2.

(*d*) *Unum metropolitanum, aliosque Suffraganeos* IX. *vel* X. *Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Civitatum referantur, ut ab his omnibus justa, consona voce decernantur*. Pelag. Pap. 2. ep. 1.

Si quis Episcopus criminaliter accusatus ab omnibus, qui sunt intra provinciam Episcopis, acceperit unam consonamque sententiam, ab aliis ulterius judicari non poterit. Concil. Ant. cap. 15.

(*e*) *Si tale in se crimen noverat, quo recte posset Epis-*

At nunc, multa die hinc enata incommoda, & uſu
Monſtrante, extremæ huic quemquam ſupponere pœnæ
Pontifici (*f*) tantum conceſſa licentia Summo.
Judicium poſtquam propius fraus ſubdola, necnon
Mutua propenſæ mentes in vulnera Patrum
Reddidit exoſum, mæſtis & quærere longe
Auxilium invidia, aut culpæ mens conſcia ſuaſit.
Fraterna Juvenem deſpecta ſtirpe nepotem
Hincmarus (*g*) illius Præſul doctiſſimus ævi

Ad

Epiſcopatu privari Primatis ſui debuerat, & non aliorum Diæceſeos Antiſtitum præſtolari judicium. Nicol. Pap. Cauſ. 6. q. 4. c. Denique.

(*f*) *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur*. Conc. Trid. Seſ. 24. c. 5.

(*g*) *Hincmarus Laudunenſis in Concilio Duziaſenſi, accuſatus a Rege, & ab Avunculo ſuo Hincmaro Remenſi ejuſdem Metropolitano, poſt edita hinc inde ſcripta quædam ſuper jure cognoſcendi cauſas Epiſcoporum ſuffraganeorum, ubi multa ex parte Hincmari Laudunenſis adducuntur teſtimonia deſumpta ex falſis decretalibus, damnatus tandem, ac depoſitus fuit a Concilio, ſententiam ex ſcripto proferente tanquam Metropolitano ejuſdem Avunculo, quæ tamen ſententia Romæ approbata non fuit*.

In-

LXXIX.

Ad pœnam coram patribus cum rege vocabat,
Criminibus terrens multis, quæ dicere lingua
Horret, nec possint aures perferre subactæ.
Censuram hic patrum ut fugiat se dicere Romæ
Causam, Romæ purgari se velle reclamat,
Jusque suum hoc longo scripto, in quo plurima falsa
Admiscet rebus veris firmare laborat.
Hunc contra legum antiquarum, crimen eadem,
In qua commissum cognosci parte jubentum,
Mole premit vexans crudelis avunculus inde
Visus, nec proprio generi qui parcere norit.
Crudelis forte & tu; sed fuit improbus ille,
Improbus heu nimium actoris si cuncta merentur
Dicta fidem, nec lata dehinc sententia fallit.
Ex illo Patribus solum punire minora,
Errore ignoscendo quæ admisere sodales
Crimina concessum, (*h*) adductasque audire querelas;
Tum formandorum morum conscribere leges,

Con-

Inter Concilia Nationalia maximo sunt in honore Africana, & Toletana.

(*h*) *Provincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur.* Conc. Trid. Ses. 24. c. 2.

Conscriptas olim aut etiam deducere in usum.
Sæpe autem vasta cætum e regione locorum
Cogi totius gentis commune periclum
Exortusve error, pax aut turbata suasit.
Qualia multa olim spectacula grandia terris
Africa clara dedit monstris, dedit atque Toletum.
Illic & leges latæ (*i*), quas maxima Roma
Tota suscepit venerans cum gente latinum,
Detectusque tuus studiis vigilantibus error
Fatale accepit vulnus versute Pelagi (*l*).
Proxima respondet sanctis Hispania jussis,
Seu lapsos reparans mores, seu quæ ante recepta
Consilio in melius posthac graviore reformans.
Hic & Niliaci pulsa caligine nimbi,
Ad lucem cunctos Recaredo Rege (*m*) vocante.
Gens.

(*i*) *Canones Africani maximam in toto Occidente, atque etiam in Oriente nacti sunt auctoritatem.*

(*l*) *In Conciliis in Africa habitis detectus Pelagii error, qui artificiosa quadam confessione Zosimi Pontificis, a quo innocens existimatus, sese damnationi subduxerat.*

(*m*) *In Concilio Toletano, curante id Recaredo Rege, publice nomine totius Nationis professio Orthodoxæ fidei, abjurato Arianismo, facta fuit.*

Gens animi studiis primum divisa, fideque
Dogmata concordi sensu genuina fatetur.
Concussus totis nonnunquam sedibus orbis
Quatuor a ventis Patres collegit in unum,
Ut cum Nicææ (*n*) præclara orientis in urbe,
Unius ob crimen, furiasque ardentis Arii
Silvestro duce, tunc Romam ditione tenente,
Concio tercentum sedit numerosa virorum,
Queis totidem plebes commissæ, ingentibus almi
Dotibus illustres animi, & virtutibus omnes:
Vulnera nonnulli Christi pro Numine magno
Ostentant etiam facie suscepta decora,
Eminet Hispanæ quos inter gloria gentis,
Doctrinæ, & vitæ merito notissimus orbi
Osius (*o*), augusti cœtus moderator, & aptis
Expressæ verbis fidei primarius auctor.
Pontificum haud alias summus sic splenduit ordo;
Religio aut hominum tanto dignata favore.

l Ar-

(*n*) *Concilium Nicænum primum ex Œcumenicis sub Silvestro Pontifice, in urbe hujus nominis ad damnationem erroris Arii coactum.*

(*o*) *Præfuit huic Concilio nomine Romani Pontificis Osius Cordubensis, qui & formulæ professionis fidei Nicænæ præcipuus auctor creditur.*

Digitized by Google

Arbiter Imperii celsa illos excipit aula,
Succedensque humili, sed quæ tota aurea sella,
Agmine partito dextra, lævaque locatos
Connectens medius, disponit sedibus altis,
Defendunt multa picti quas arte tapetes.
Ipse (*p*) sibi officium sumens, partesque modesti
Discipuli Patrum venerando pendet ab ore.
Cuncta probent quæ illi sincero corde probare,
Quæ damnent simili obsequio damnare paratus.
Non sic Romani majestas prisca Senatus,
Lecti ubi de bello Patres, & pace supremas
Leges, ac dubia Regum de sorte ferebant,
Subjecto quondam fuerat spectabilis orbi.
Scilicet humanum hic sensum quæcumque geruntur
Exuperant, ludicris nec de rebus habetur
Quæstio, sed Nati summi de numine certant.
Multorum paucos vicit consensio Fratrum,
Explosusque error, sua nec non reddita Christo
Gloria, Luciferi vano tentata labore.
Perfidus ad tenebras damnatur Arius, & audens

Lu-

(*p*) *Constantinus Magnus præsentia sua honoravit Concilium Nicænum, in quo partes egit non Judicis, sed Auditoris.*

Ludere lascive flammis donata Thalia (*q*).
Tum leges dictæ (*r*), per quas concordia dulcis,
Antiqua magno de festo lite dirempta (*s*),
Divisos homines ritu conjunxit eodem.
Præscripta hinc morum sanctissima regula, necnon
Unicuique sui præfixi limite fines (*t*).
Alter jamque novus, primoque simillimus error,
Evomuit quem diro audax Macedonius ore.
Bizanti Patres dispersos cogit in (*u*) Urbe.
Par fortuna viros sequitur, causæ exitus idem.
Tartareas cæco natales duxerat unde
Errore in sedes detruso, Spiritus uni
Æqualem Patri, & Nato conservat honorem.

(*q*) *Thalia nomen est infamis libri, seu cantici, ab Ario compositi, ac præcipuos ejusdem errores continentis.*

(*r*) *Viginti canones editi fuerunt in Concilio Niceno, quorum maxima semper in Ecclesia fuit auctoritas.*

(*s*) *In eodem Concilio finis impositus vexatissimæ quæstioni de celebratione Paschatis assignato ad eam die ab omnibus deinceps observando.*

(*t*) *Ibidem exactius definiti sunt fines Diœceseos Alexandrinæ, & unicuique Episcopo constituti suæ jurisdictionis limites.* Concilium Nicæn. Can. 6.

(*u*) *Secundum Concilium fuit Constantinopolitanum coactum propter errorem Macedonii male sentientis de Divinitate Spiritus Sancti.*

Nec(x) te prætercam, ardor quem bene scita novandi,
Et mutare semel mens prave nescia dictum
Dejecit rerum in prærupta, miserrime Nestor.
Hunc (z) vitæ ob laudem austeræ, linguamque disertam
Optatum magnis votis, longeque petitum
Urbs caput Imperii sacrata in sede locavit,
Felix o! nimium felix, si clara Joannis,
Aurea cui magnum fecit facundia nomen,
Concivisque sui, socii & præstantis honoris
Servasset caute, ut cœpit, vestigia semper.
At dum se nimium studiis popularibus effert,
Dum nova despectis antiquis dicere gaudet (a),
In cœli Dominam torquet male providus ora,
Namque ferebat eam genitrix verissima quamvis

Sit

(x) *Tertium Ephesinum coactum in urbe hujus nominis propter errorem Nestorii duas admittentis in Christo personas, atque hinc negantis B. Virginem esse Matrem Dei.*

(z) *Fuit Nestorius ex Clero Antiocheno vocatus Constantinopolim, Orientalis Imperii sedem, ut nobilissimam illam regeret Ecclesiam, exemplo S. Joannis Chrysostomi, cujus, & eloquentiam & virtutes aliquamdiu exprimere visus est.*

(a) *Jactare solebat arrogantius, populum non fuisse a suis Prædecessoribus bene instructum.*

LXXXV.

Sit Christi, partu mirando quem edidit ipsa,
Non tamen esse Dei matrem (*b*), talemque vocandam,
Quo simul & Mariam supremo munere privat,
Et Christum demens divino fraudat honore.
Subjecti quæ vox populi ut pervasit ad aures (*c*),
Diriguere alii, at reliquis audentior unus
Cui pietas græco nomen de nomine fecit,
Nullo tunc quamvis sacro splenderet honore,
(Infula sic merito posthac nam tempora cinxit)
Dicentem media e turba sublatus, inanem
Præsulis haud metuens iram, alta voce repressit.

Sed jam delatus Romam infamissimus error,
Ipso sese auctore doli prodente (*d*) superbe,
Quod meruit prima responsum accepit ab Urbe,
Nec pœnæ injecto excussus terrore sequentis,

Ut-

(*b*) *Error hic connexus cum illo, quo duplicem in Christo Personam admittebat.*

(*c*) *Cum Errorem suum Nestorius pro concione populo proponeret, dicenti alta voce restitit Eusebius quidam laicus. qui deinde factus Episcopus multo evasit illustrior ob detectum, & ad internecionem usque exagitatum errorem Eutychetis.*

(*d*) *Nestorius scripsit ad Cælestinum Pontificem rationem ei reddens suæ doctrinæ accusans erroris eos qui diversa ab illo sentiebant.*

Digitized by Google

Utpote desipiens morbi immedicabilis æstu,
Respexit sese, aut quidquam de mente remisit
Perversa late terris grassante veneno
Ergo Ephesi patres, sol primo quam aspicit ortu,
Hospitio & quæ Divæ olim dignata Parentis,
Diversis vasti ducenti e partibus orbis,
Conveniunt tantum cœtum moderante (e) Cyrillo.
Tunc vero si unquam concors sententia Patrum,
Spiritus ipse, locum summus quos duxit in unum,
Visa potens, neque enim quisquam plebejus, inopsque,
Ut quondam coriis ille amens (f) sorte parandis
Addictus, primos Christo qui invidit honores;
Dejiciendus erat, claræ sed maximus Urbis
Eloquio Antistes, & rebus nobilis actis.
Decepta auxilium nec si illi curia ferret,
Labenti & dextram eoa cum gente Joannes (g)
Mul-

(e) *Præfuit huic Concilio Cælestini nomine Cyrillus Ep. Alexandrinus.*

(f) *Theodotus coriarius, qui ante Nestorium errorem, quem postea iste defendit, aut huic certe similem docuerat.*

Nestorii potrocinium decepta Curia aliquamdiu sustinuit.

(g) *Joannes Patriarcha Antiochenus, non tam errari quam personæ Nestorii favit: quod hic in Ecclesia* An-

(Multum hic, Bizanti qui sedit dispar ab illo),
Tenderet, haud ideo almi adversus vota Senatus
Errorem potuit damnandum seque tueri,
Sed dirum miser exilium perferre coactus
Obscuram fato vitam finivit acerbo.
Contra illum nimio studio dum nititur ultra
Progressus veri fines, qui nomen adeptus
Ductum a sorte bona (*h*) supremo prodidit actu,
Turbidus in Christo quæ sunt humana, Deique
Indocte miscens, antiquum errore recenti,
Falsa deceptus cumulavit imagine recti (*i*):
Hunc quoque grandævum virtutis fama severæ,
Et fidei quondam depulsa injuria clarum
Reddiderat, devota facit quem secta potentem.

Di-

Antiochena fuisset præsbyter, & a Cyrillo, odio hæreditario in Patriarcham Constantinopolitanum, hæreseos insimulatum, ac per vim oppressum putaret.

(*h*) *Nomen græcum Eutyches a bona fortuna ductum.*

(*i*) *Fuit Eutyches monachus, imo multorum monachorum Pater, qui contra errorem Nestorii strenue pugnaverat, atque ab illo dum longe abesse cupit nimio ardore abreptus in contrarium errorem incidit, ex duabus naturis satis imperite unicam faciens.*

LXXXVIII.

Diverſis Patres ſexcenti (l) e partibus orbis,
Quot ſimul anterior nunquam conſpexerat ætas,
Admoniti Tracum celſam ad Chalcedonis Urbem
Accurrunt, longe cœtum ductante Leone.
Hic furto quæ alibi fuerant ſancita reciſis (m),
Vera fides pulcrum erexit ſervata trophæum.
  Atque hæc præcipua illorum quæ Græcia vidit
Concilia, ob cauſas quibus acceſſere minores
Deinde alia, eſſet adhuc genti cum juncta latinæ
Concordi fidei ſenſu, imperiumque vigeret.
Neſtorianæ ut cum rurſus mala ſemina Sectæ
Liberius ternis ſcriptis (n) errore vagante

Oo-

(l) *Sexcenti Patres venerunt ad Concilium Chalcedonenſe, quot in nullo priorum Concilliorum viſi fuerunt, & hoc fuit ordine quartum.*

(m) *In hoc Concilio reſciſa fuerunt, quæ per vim acta fuerant in Conventu Epheſino noto ſub nomine Latrocinii Epheſini.*

(n) *In quinto Concilio, quod eſt ſecundum Conſtantinopolitanum, damnata fuerunt tria Capitula, ſic vulgo dicta, hoc eſt Scripta quædam Theodori Mopſueſteni, & Theodoreti, nec non epiſtola quædam ad Marim Perſam cuidam Ibæ attributa, in quibus Neſtoriani erroris virus continebatur.*

Oppressa, aut gemina in Christo firmata (o) voluntas
Et sacris icones jussæ consistere templis, (p),
Atque a legitimo sponso dejectus adulter (q).
    Ex illo Argivos inter gentemque latinam,
Nexibus abruptis, infando crimine, pacis,
Conventus nostri Patres egere seorsim (r),
Prodiit unde sacra exultans ad prælia miles,
Concussusque orbis, Solymorum & regna recepta,

(o) *In sexto Concilio, quod fuit tertium Constantinopolitanum, damnatus fuit error illorum, qui unicam tantum in Christo admittebant voluntatem, qui error surculus quidam erroris Eutychetis existimari potest.*

(p) *In Septimo Concilio, seu secundo Nicæno, assertus fuit sacris Imaginibus debitus cultus, proscripto errore Iconoclastarum, qui eas tollendas, velut incentiva idololatricæ cujusdam superstitionis, contendebant.*

(q) *In octavo Concilio, seu quarto Constantinopolitano depulso Photio invasore, restitutus fuit S. Ignatius legitimus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus.*

(r) *Post Græcorum Schisma celebrata fuerunt a Latinis seorsim plurima Concilia, inter quæ celebriora sunt Lateranensia. In illis decretæ sunt expeditiones ad terram, ut vocant, sanctam: explicata quædam fidei dogmata; & oppositi errores damnati, ac plurimæ formandorum morum, & disciplinæ constituendæ, pro temporum illorum necessitate, atque opportunitate, leges promulgatæ. In Concilio etiam Constantiensi diuturnum Ecclesiæ Occidentalis Schisma novo creato Pontifice extinctum.*

Digitized by Google

Propoſita & fidei quædam decreta tuendæ,
Inque dies creſcens compreſſa licentia morum.
Tum finem occiduos divexans ſchiſma recepit:
Incluſos iterum donec Florentia vaſtis (s)
Mœnibus excepit græcos, pariterque latinos,
Pax optata diu per quos revocata, calore
Non magis æſtivo manſura, aut frigore brumæ.
Occidui cauſis gravibus poſcentibus unde
Tempore poſterius, nulli ſed forte priorum
Quod rerum pulchre geſtarum cedat honore,
Concilium alpina cogunt in valle Tridenti (t).
Nec bis centenis lapſis, atque amplius annis
Tale aliud viſum, ſpes aut vicina videndi.
Illius ignito perculſus fulmine Luther
Corruit, & ſimili dejectus concidit ictu
Calvinus, retro ſequitur quem turba nepotum

Di-

(s) *Florentiæ convenientibus denuo Græcis cum Latinis facta fuit conjunctio utriusque Eccleſiæ, quæ tamen brevi admodum tempore duravit, diſcordiæ facem attollente Marco Epheſino, qui partes Græcorum in Concilio Florentino ſtrenue quidem, & cum magna eruditionis laude ſuſtinuerat.*

(t) *Concilium Tridentinum ultimum Œcumenicum.*

Dilacerans Chriſti fatali ſchismate corpus (*u*).
Hanc ſimulata tegit pietas, mendaxque vetuſtæ
Integritatis amor, Patrum ſacra nomina jactat,
Afflictis aliquem quærat quo rebus aſylum:
Seditione potens, non jam tam viribus, acri
Dimicat aut ferro, quam fraude inſtructa doliſque.
Pontificum interea toto viget orbe poteſtas
Divina, haud ullis erebi ceſſura ruinis,
Seu cœtu coeant uno, ſeu mille viarum
Diviſi ſpatiis propriis ſeſe urbibus illi
Contineant populum commiſſum, & ſacra tuentes.
Nam quod multorum, capiti qui nexibus arctis (*x*)
Jungantur, nutante fide, conſenſio figet,
Paſtoris ſiquidem accedet ſententia Summi,
Ordine fatorum immotum perſtabit in ævum.

(*u*) *Deſcriptio hodiernæ hæreſis, quæ cum propago quædam ſit hæreſis Calvinianæ jam in Concilio Tridentino fuit prædamnata.*

(*x*) *Inter propoſitiones Lutheri damnatas a Leone X. una eſt ordine* 28. *his verbis expreſſa: Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.*

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

HActenus officium sacri Paſtoris, & almi
Imperii fines cecini, nunc dicere mens eſt
Qualibus instructum deceat virtutibus illum,
Cui pecoris commissa salus, cui pascua curæ:
Gratum opus Artifici, quod nec labor improbus urget,
Areolas ut qui percurrens fertilis horti
Vernantem digitis florum decerpit honorem,
Unde sibi Præsul texat, fingatque coronam.
Non tamen ipse meis complecti versibus omnes,
Pontificum per quas ad tantum gloria culmen
Conscendit, numero cœli ut quæ sidera vincant,
Virtutes optem, contentus pauca docere.

Communes populo gentis cum Præside quædam
Illarum, propria at capitis pars maxima tantum:

Per-

Perfectum hæ reddent, aliis si forte carebit
Admissum ob scelus officioque, locoque movendus.
Sacra ut si auro habuisse aliquem venalia dona, (a)
Constiterit, fœdæ aut labis cecidisse ruina (b)
Indignum hunc, aliis qui præsit jure vetusto
Exemplis statuunt repetitis scita Parentum.

Accidit atque etiam nullo prodente coactis
Judicibus tanti se ipsum qui criminis esset
Conscius, abjecto plectendum sistere vultu.
Conventum magnum dum agerent de more Toleti
Hispani Patres Bracarum maximus ecce (c)

Si-

(a) *Episcopus, vel Præsbyter, aut Diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, a Sacerdotio cadat.* Citatur ex 7. Synodo C. 1. q. 7. c. Si quis.

(b) *Si in fornicationem lapsus est aliquis post Baptismum, in Sacerdotium non recipitur. Si quis vero cum hoc peccato ad Sacerdotium provectus est, cognitus degradetur.* Ibidem ex eodem.

Si Episcopus, Preshyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit ab officii honore depositus in monasterium detrudatur. Cit. ex Conc. Agat. c. 50. c. 7 D. 50.

(c) *Potamius Bracarensis in Lusitania Episcopus cum ab illustri quadam fœmina hospitio exceptus turpe cum ea commercium habuisset, ultro sese Patribus in*

Con-

Sistitur Antistes, quantum heu mutatus ab illo,
Antiquæ quondam solitus qui sedis honore
Pontificum tanto in cœtu loca prima tenere,
Et populo rigidas leges dictare timenti.
Nunc media flexis genibus pudibundus in aula
Ultro flens tristem casum, culpamque fatetur.
Quippe hunc quem nullæ illecebræ domuere juventæ,
Non mollis latitans robusto in pectore flamma,
Tempora jam canis sparsum, affinemque sepulcro
Fœmineum hospitium, faciesque objecta subegit.
Confessi quæ vox Patrum ut pervenit ad aures
Obstupuere omnes, imis gemitumque dedere
Visceribus, lapsum miserati sontis amici.
Atque huic officio pulso, nam grandior ætas,
Præteritæ & meritis reverentia debita vitæ,
Consilii id suasit, prisci servantur honores,
Lege data ut lucem fugiens, turbamque profanam
Perpetuo elueret culpæ contagia luctu,
Amissa mœrens ut quondam conjuge turtur

Flet

Concilio congregatis stitit, ac publice quidem coram ipsis peccatum suum confessus, propter reverentiam illius meritis, & ætati jam provectæ debitum Episcopatus honorem retinuit, ea conditione, ut perpetuam in loco deserto ageret pænitentiam.

Digitized by Google

Flet. longum; sylvaque errans miserabile carmen
Innovat, & querulis late omnia vocibus implet.
Sæpius at ne hæc deploranda exempla redirent,
Quorum pauca quidem chartis expressa vetustis
Temporis annales conservavere prioris,
Solemni pridem sancitum lege (*d*), Sacerdos
Auderet ne quis, minus at qui præsidet urbi,
Pellacis tecto personam inducere sexus,
Neu se illi stabili conjungi fœdere (*e*) amoris,
Suspecti cujus mores, & lubrica fama.
Hinc ne quæ populum gravioris opinio culpæ

Con-

(*d*) *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*. Conc. Nicæ. can. 3.

Fæminas non alias esse patimur in domibus Clericorum nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum ipsis Synodus Nicæna permisit. Siricius Papa ad Himerium Epis. Tarraconensem.

(*e*) *Erant Clerici, qui ad res domesticas administrandas mulierem quodammodo cælibatus sociam, & veluti sororem vulgo Agapetam inducebant, idque visum sanctis Patribus salubri hac constitutione emendare*.

Concuteret, quoties extra procedere jussi,
Audiri cuperet secreto aut fœmina (*f*) tecto,
In noctem stratis fessa & cum membra dedere
Pontifices, aliquot soliti retinere (*g*) ministros
Servati testes, custodes atque pudoris.

Ne vero, ne quis castas quæ verberet aures
Præsulis heu vocem imprudens expectet (*h*) ab ore.
Quin si tale aliquid cuiquam ex præsentibus olim
Exciderit, tristi suffundens ora rubore
Hoc ausi (*i*), incastigatum haud permittet abire.
Hinc multis quoniam lautæ mala gaudia mensæ,
Et pateris vini spumantis crebrior (*l*) haustus

n Hu-

(*f*) *Nec ipsi Episcopi soli habeant accessum ad hujusmodi fœminas* (*Viduas, aut Virgines*), *sed ubi aut Clerici, præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani* Conc. Afr. c. 5.

(*g*) *Vocabantur hujusmodi ministri, qui erant ex ordine Clericorum, Syncelli.*

(*h*) *Si insolentior coram te sermo sonuerit, manus tua super ejusmodi*. D. Ber. de Consid. l. 4. c. 10.

(*i*) *Inter Sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemiæ*. D. Ber. de Consid. ad Eug. lib 2. §. 13.

(*l*) *Venter mero æstuans despumat in libidens*. S. Hier. ep. ad Oceanum.

Humentem movit dicta ad petulantia linguam,
Frugales (m) epulas comitabit lectio (n) sacra,
Consulto aut sermo injectus de rebus honestis.

Quos vero mores in se primum ipse pudicos
Exhibet, inque aliis juxta (o) degentibus optat,
A famulis etiam, tecti quibus infima curæ,
Exiget, haud quemquam sibi, quamvis utilis apto
Servitio, longum certus tolerare procacis
Ingenii, fœdæ aut maculatum (p) crimine vitæ,
Hinc multos quoniam æternarum oblivio rerum,
Cœlitus & nobis monstratæ inscitia legis
Præcipites culpis animum cruciantibus egit,
Unum aliquem illorum quos secum ex ordine sacro
Semper habet vitæ socios, operumque ministros,
Eligit, evolvens fidei qui dogmata cunctis,

Cu-

(m) *Episcopi mensa, ac frugali victu contenti sint*. Conc. Trid. Ses. 25. c. 1.

(n) *In Episcoporum mensis divininarum Scripturarum lectio admisceatur*. Conc. Trid. Ses. 2. c. unico.

(o) *In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt nihil indecens patiaris*. S. Ber. de Consid. lib. 4. c. 10.

(p) *Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas*. S. Ber. ibid.

Digitized by Google

Cura quibus domus incumbit, operumque minorum,
Septena quavis luce in conclave vocatis,
Ingerat horrorem (q) vitii, & virtutis amorem.
Mane Sacerdoti profert dum mystica dona
Composita assistant ut mente, & corpore prono
Sollicitus curat, clausum atque ubi vesper olympum
Obduxit, signo admonitos pium adire Sacellum,
Matris ubi, Natique micat sublimis imago
Divinos roseo vultus imitata colore,
Exercet precibus bona pars dum labitur horæ.
Ipse etiam Præsul, quoties majora recurrunt
Festa, ad sacram hortatur caste accedere mensam,
Et propriis manibus venientes pascere gaudet.
Nec tamen hic animis quam curam impendit amicam
Corporibus recte ut valeant, vigeantque negabit.
Nam sanis vestes aptas, alimentaque (r) reddet

n 2 Con-

(q) *Familiares vero suos unusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati; blasphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur*. Conc. Trid. Ses. 2. ca. un.

(r) *Necessaria de manu tua accipiant. His contenti sint, quæ tu provideris illis: tu vide ne egeant. Super hoc quem forte ab adventantibus petere deprehendes, judica Siezitam. Id de ostiariis, id de cæteris officialibus decernendum*. D. Ber. de Consid. lib. 4. cap. 10.

Congrua cujusquam ætati, impositoque labori;
Ast ægris lectos haustus, & pharmaca ponens
Arte peritorum accita medicare jubebit.
Commodus & patiens non ille assurget in iras,
Neu quemquam ob modicas culpas, incuria quales
Vix humana cavet verbis mulctabit acerbis;
Nec faciles præbebit delatoribus aures (*s*),
Quædam haud scire volens, sed quo magis ipse remotus
Vivat jurgandi a causis, trepidoque tumultu,
Unum aliquem vitæ puræ, fideique probatæ
Constituet domus augustæ, gentisque (*t*) magistrum,
Solerter famulorum cui describere curæ
Munia, commissique operis deposcere pensum.
Hic imis flavæ cereris turgentia cellis

Do-

(*s*) *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias*. S. Ber. de Consid. lib. 4. c. 9.
Multa nescias; plurima dissimules, nonnulla obliviscaris. Ibid. c. 9.

(*t*) *Quærendus proinde fidelis, & prudens, quem constituas supra familiam tuam. Potestatem habeat transferre ministeria, ad quos & quando voluerit .. . . . . Unus omnibus facienda injungat, & uni omnes respondeant . . . . Quid Episcopo turpius, quam incumbere supellectili, & substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, moveri ad quæque perdita, vel neglecta*. S. Ber. de Consid. lib. 4. c. 9.

Dona oleique levem, vini expressumque liquorem,
Cætera deinde quibus mensæ decorantur honestæ,
Servat, præscriptosque memor dispensat in usus.
Dum Præsul submotum intra conclave receptus
Aut orat, vacat aut studiis sublimibus (u), ad se
Vel recipit venientes, aut disponit (x) agenda.
Sic teneri ille gerens animos & viscera (z) patris
Imperio placidi famulis dominatur amoris.
  Talis ille domi, talem sese exhibet extra.
Ac primum æterna quam sponsam lege maritus
Accepit plebem studiis ferventibus ardet.
Proximus huic animo, præsens & corpore, nunquam
Deserit, aut raro gravibus (a) rationibus, illum
Seu

(u) *Sacerdotes legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: semper permane in his: Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones*. Conc. Tol. 4. can. 24.

(x) *Diligenter omne quod faciendum erit, tracta apud te*. S. Ber. de Consid. lib. 4. c. 5.

(z) *Domi te patrem familias exhibe. Ament te domestici tui. Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat*. Ber. de Consid. lib. 4. c. 10.

(a) *Cum christiana charitas, urgens necessitas, de-*
bita

Digitized by Google

Seu alio poscet morbus, seu publica causa,
Præceptum aut ejus sibi cui parere necesse,
Tempus post modicum rediturus eo unde recessit,
Neu sibi permittet sors uni ubi fixerit urbi,
Sors, seu quæ casum nescit divina voluntas,
Uxore ut qui ducta alios meditantur (*b*) amores;
Multorum heu! labes (*c*), cuivis conjungere dextram;
Hæc quamvis sera illum, quæ ad connubia poscit
Divitiis sensum inflectat, formaque virenti,
Deterior tristi vultu ista, & paupere dote.

Externus quod si fuerit, nam sacra potestas
Sæpius externo defertur, protinus ipse
Deposito patriæ affectu se totus ad ejus
Componet gentis mores, absit modo culpa,

Quam

---

bita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent C. T. 23. c. 1.

(*b*) *Fortius spirituale vinculum quam carnale*. Inter corporalia. De Translatione Epis.

(*c*) *Translationes Episcoporum primis Ecclesiæ sæculis admodum erant odiosæ, unde si unum forte excipias, nullus ad summum Pontificatum, qui alibi fuisset Episcopus, ante Formosum, assumptus fuit, cui etiam id crimini post mortem attributum fuit. Nunc temporis translatio Episcoporum est reservata Summo Pontifici*, C. Inter de Trans. Ep.

Quam Deus ipse dedit sibi, commissitque regendam,
Unde illum extractumque domo, oblitumque suorum,
Perpetuum credant cives, propriumque futurum.
Antiquæ hinc illi patriæ sit mentio rara,
Rarius exemplum, pugnant quando usibus usus
Adducet, patrium at si quem introducere morem
Utilitas ingens, ratio aut validissima poscet,
Rectius ex quo sint hæc fonte accepta tacebit,
Altius aut repetet (*d*) causas, tum consona Patrum
Ostendet jussis, longum & celebrata per ævum.
Tum moris si quid non recti inoleverit illic,
Quod gentis proprium laudet cum plebe senatus,
Ne præceps tollat (*e*), nocuit violentia multis,
Ces-

(*d*) *Cum S. Gregorius ritus quosdam in Officio Missæ Romæ introduxisset, quos ab Ecclesia Urbis Constantinopolitanæ, in qua ipse diu versatus fuerat, acceptos nonnulli existimabant, gravibus excitatis ea de re eorundem querelis non alia ratione illas sedare curavit, quam ostendens, longe diversam illos habere originem ab ea quæ credebatur, quæ cum de singulis probasset: In quo ergo, inquit, Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas & utiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari?* lib. 8. Ep. 63.

(*e*) *Consuetudo, seu potius corruptela in Africa inoleve-*

Digitized by Google

Cessantes contra dum verba impensa potiri
Optatis, cuncta & superans patientia fecit.
Subjecta interea ne quid de plebe sinistrum
Volvere mente sua, sensusque fovere inimicos
Ullis ostendat factis, verbisque cavebit:
Neu totam, multis quamvis commune feratur,
Cujusquam vitii traducet nomine gentem,
Quodve animi fuit imprudentis culpa, malignæ
Attribuet fraudi, pravo studioque nocendi.
Illos hoc etiam sævos vitabit ut hostes

Qui-

---

leverat, ut Martyrum Solemnitates conviviis intra fines Ecclesiarum habitis celebrarentur, quæ sæpe in comessationes & ebrietates degenerabant. De hac tollenda consuetudine scripsit Augustinus tunc Presbyter epistolam ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem, in qua hæc inter alia cœlestis cujusdam prudentiæ documenta leguntur. Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Et si quid minamur, cum dolore fiat de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Itaque prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximi, quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. S. Aug. *ep.* ad Aurelium.

Quicumque incertis vacuas implere susurris
Ejus amant aures, odiorum & spargere causas,
Suspecta unde sibi sua plebs, invisaque fiat.
Aut aliter quam qui dilectæ Conjugis omnes,
Seu rumore levi nixos, falsisque relatis
Errores, soliti ignaro deferre marito,
Suspectam uxorem sponso fecere pudico,
Gaudia turbantes thalami socialia lingua.
Non equidem paci fœdandæ certior ulla
Pestis, divisos nec quæ sic sensu, animoque
Pastorem, populumque insana ad jurgia cogat.
Corrosis nec se, dum jura latentia chartis
Anxius exquirit, clamosis (*i*) litibus ultro
o In-

(*f*) *Non litigiosum*. *Ep.* 1. *ad Timot. c.* 3. *Quomodo se gessit Dominus hujus universitatis? Veritas explorata est fuisse illum Dominum totius mundi, numquid idcirco alicui litem intendit, ut haberet ubi reclinaret caput? Quos ille processus unquam instituit! Num quemquam ad aliquod tribunal citavit? certe numquam, & hoc est quod adeo nobis inculcavit: Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere dimitte & pallium. Ego minime reprehendo eos qui litigant dummodo hoc faciant in veritate, in judicio, & in justitia, dico tamen, exclamo, scribo, ac si id opus esset scriberem etiam proprio sanguine; quicumque volet esse per-*
fe-

Involvat, fieri id prohibet nam maximus ille,
Cœlestis prius hæc didicit qui a Numine Paulus.
Juratæ neu quem fidei perturbet imago.
Nulla fides sanctam cogit disrumpere pacem,
Aut summi præcepta Dei temerare vetantis.
Quod si fundati quondam violatio juris,
Extremo invitus ceu qui in discrimine lucis,
Præsentem ut fugeret mortem, horroremque sepulchri,
Exesum carie membrum ferro abscidit acri,
Judicio illum adigat justo possessa tueri,
Sedato hoc animo faciat, semperque paratus,
Æqua ubi conditio pacis sese offerat ipsi
Suscepta pronis animis decedere lite.
Ut qui non odio, lucrique inductus amore,
Justitiæ at potius studio, sartamque tuendi
Commissam Christi sibi rem fora dira frequentet.
Collatis nec si hinc atque illinc juribus atra
Tale haud quid formidantem sententia damnet,
Oppositæ partis, victis quæ trita querela,

Fran-

ſectus debet ad opus deducere hanc doctrinam Jesu Christi. Heu! quot artificia, quot verba, inemendata, aut etiam mendacia, quot leves injustitiæ, quot calumniæ aut semicalumniæ ubi regnant lites. S. Franc. Salesius Sacrarum Reliq. part. 2. *cap.* 2.

Fraudibus occultis, probrosa aut judicis istud
Desidia, pravi aut animi vitio adstruet actum.
Munera præterea cuncta, illorumque datores
Declinet prudens, turbant nam munera mentem,
Debilitantque animi blando molimine robur.
Præsertim plenis manibus si (*g*) qui venit ullis
Vexetur, quemquam vexet seu litibus ipse,
Ante tuum causa ambigua pendente tribunal,
Sic iter aut velit ad sacros sibi sternere honores.
Hunc vites, illum nec non qui talia poscit
Magnorum fultus studiis (*h*), gratoque favore.

 Un-

(*g*) *Dignum nunc ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Is Cardinalis presbyter functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit, ut pene ex pensis, & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, pervectus est. Poſtridie credo secutus Episcopus (erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum, cumque per ſingulos sollicitaretur ventum eſt ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus: decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo eſt. Et hora eadem resignavit illi.* S. Ber. de Conſid. lib. 4. c. 7.

(*h*) *Pro quo rogaris, sit suspectus. Qui ipse rogat pro*

Unica sit meritum ratio, supremaque plebis
Utilitas, extollat quæ hunc, aut deprimat istum.
Ante omnes, propria hoc etiam poscente quiete
Delecto illos e cœtu sibi stringere curet,
Fœdere perpetuo, sacri quos summus honoris
Jungit apex capiti, unius ceu corporis artus,
Consilio adsciscens (i) fido, auscultansque libenter;
Illis quippe inconsultis quamplurima sacræ
Quemquam audere vetant leges, nonnulla periclum
In se majus habentia, quæ aut mansura futuris
Temporibus, tangunt multorum commoda, partis
Non nisi majoris firment suffragia (k) factum.
Atque equidem fuit hæc priscis moderatio tanta
Patribus, haud quidquam ut Præsul decerneret unquam
Momenti gravioris, qualia plurima vulgo

Oc-

---

pro se, jam judicatus eſt. S. Ber. de Conſid. lib. 4. c. 5.

(i) *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non decet te omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti*. Cap. Novit. De his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capit.

(k) *Irrita erit Episcoporum donatio, vel vendito, vel commutatio rei Eccleſiasticæ absque collaudatione, & subscriptione Clericorum*. Cap. Irrita. Ibidem.

Digitized by Google

Occurrunt, Cleri nisi primum vota requirens
Cuncta expendisset, quin plebs quoque sæpe vocata
Consilii in partem, renuentibus unde (*l*) Sacerdos
Nequaquam populis antiquo jure dabatur,
Multorumque æquum studium, placitumque sequuti
Pontifices, assensu quo majore probata,
Hoc servanda magis, valituraque jura dederunt.
Nec jussis egerunt semper, plurima namque
Flectendo verbis animum, exemplisque fovendo,
(Tutius hoc, secum quod multa incommoda leges
Adducant, neglectæ animas feriantque (m) ruina)
Paulatim stabilem nacti deducere in usum.
Tempore quo reliquis Bacchi orgia noxia fervent
Ur-

(*l*) *Episcopus sine Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut Civium conniventiam, & testimonium quærat* Concilium Carth. 4. c. 22.

Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus. P. R. p. 38.

(*m*) *Pater Laines in Concilio Trident. prudenter monuit Patres, ne nimis essent faciles in ferendis legibus annexam habentibus peccati obbligationem, quippe gratiam illis observandis necessariam dare non poterant, cujus contrarium contingit in legibus divinis*. Pallav. Hist. Tri. l. 23. c. 3. n. 30.

Urbibus, exturbatque recens insania mentes,
Fulginiæ media Spoleti in Valle, colende
Te duce tanti operis, primoque auctore (n) Vitelli,
Exemplis tantum, hortatuque homine id pio agente,
Utpote cui nullus sacer ordo, nulla jubendi,
Aut proprio, aut alieno nomine firma potestas,
Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ
Accurrunt, laxique prementes mœnia templi,
Purgato culpis animo, densissima turba,

Cæ-

(n) *Fulginiæ, nobili Urbe in Valle Spoletina sita, ſingulis annis feria quinta ante Dominicam quinquageſimæ, hujus sancti operis Auctore Joanne Bap. Vitelli homine laico, sed egregiis virtutibus, necnon studio juvandi alios claro, magnus fit personarum omnis conditionis, & sexus ad Eccleſiam principem S. Feliciano dicatam concursus, ad suscipiendam sacram Eucharistiam; quam confertiſſimo populo Episcopus suis manibus diſtribuit, donec deficientibus, præ multitudine accedentium, viribus, id muneris alicui ex primariis Eccleſiaſticis cedat: interim Viro aliquo hujus rei perito superpelliceo, & ſtola induto populi affectum brevibus, & aculeatis colloquiis excitare per intervalla non deſinente. Nec ducentis fere ab hujusmodi inſtitutione elapſis annis quidquam de primævo fervore deceſſit, & spes est, niſi convulso aliqua inopinata rerum converſione statu Civitatis, facile deceſſurum. Eodem die ab omni Bacchanalium oblectamento cessatur, quin multi ad illa deinceps non redeunt.*

Cœlestis celebrant læti convivia mensæ;
Quos inter medius portans sanctissima in auro
Dona, accedentes divina sublevat esca
Antistes, tacitum mulcent cui gaudia pectus,
Vibrata inclamans unus dum voce Sacerdos,
Veste super nigra candenti indutus amictu,
Accendit jaculis turbam flammantibus omnem,

Non sic præcepti annalis cum proximus instat
Limes, cunctansque timor pœnæ anxius urget,
Volvitur undosus sacris altaribus æstus.
Jamque die toto hoc, & qui præponitur ipsi,
(Mitto suum ex illo multis hæc carpere finem)
Bacchantum quævis opera interrupta quiescunt.
Nec vero elapsis nunc centum, atque amplius annis,
Longæva hunc potuit morem delere vetustas,
Hæret quippe animis actis radicibus, atque
A teneris sic assuetos lux provocat alma
Antiqua firmans in religione parentum,
Dum neglecta quidem insidiosa volumina (o) legum

Exi-

(o) *Nonne os tuum in Rhemensi Concilio subjecta Capitula promulgavit? quis ea tenet? Quis tenuit? Falleris si teneri putas.. Tu sanxisti: quid effectui mancipatum?* S. Ber. de Consid. lib. 3. c. 11.

Exiguo fructu, culpas spernentibus augent;
Tanta usus docilis vis est & gratia vulgo.
Hoc moniti exemplo antiquis cumulare recentes
Parcite Pontifices leges, sed juribus actus
Succedant, pravos melior tum corrigat usus
Mores, & peccare vetans cultura animorum.

Imprimis fidei, ignaræ qui dogmata turbæ
Tradant (p) perque vicos Præsul, perque oppida certos
Constituat, quos & facundæ gratia linguæ,
Et quemcumque valens animus tolerare laborem
Hoc exercendo monstrabunt munere dignos.
Præsulis hi ad limen, tantum nisi crederet ipse
Præstandum per se officium, dum expectat egenus
Ferre stipem solitam, mille huc currentibus, adsint
Vitæ pascentes verbo, quos pane juvabunt.
Proposita utque etiam crescat mercede profectus
Dimittat lætos duplicata annona merentes.
Nec minus ingenuas puerorum præmia mentes,
Spe-

(p) *Extant inter Conſtitutiones selectas Ben.* XIV. *Encyclicæ litteræ ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Italiæ, quibus illos hortatur ut veteribus nova superaddant paſtoralis sollicitudinis ſtudia, ut Chriſtifideles in rudimentis fidei instituantur, & erudiantur*. 26. Junij an. 1754. *His*

Speratique acuant præscripto tempore honores.
Mos viget Italico cœlo, qui ductus ab arce
Romulea plures sese diffudit in urbes,
Procedant dura ut teneri in certamina alumni,
Quos & laudis amor, prærepta & gloria palmæ
Sollicitat, docti divinum evolvere dogma,
Quæsitisque urgere alios, & solvere prompti.
Ipse Pater media templi sublimis in æde,
Altum surgit ubi solium, pugnæque futurus
Arbiter, ingressos vallum placido excipit ore.
Conveniunt idem pueris quos sanguinis ortus
Commixtos, nexusve alius, studiumve videndi
Excivit, denso complentque sedilia cœtu.
Illi (q), alternantes multa vi prælia miscent,

His addi debet Conſtitutio ejusdem Pontificis de Doctrina Christiana populis tradenda, & de ratione, & methodo, qua Fidelium indigentiæ hac in re consulendum ſit. 9. Feb. an. 1755.

Sacrosanctæ Synodi Decretum de pueris edocendis in singulis Parochiis ita observari præcipiat, ut ſinguli Symbolum saltem Apoſtolorum, atque Orationem Dominicam, itidemque Decalogi præcepta materno idiomate doceantur. Litteræ Encyclicæ S. Congregationis Concilii ad universos Episc. Italiæ

(q) *Descriptio certaminis initi a pueris conten-*

Et nunc respondent jussi, nunc & vice versa
Responsum expectant taciti, atque errata reprendunt:
Succedunt primis alii, consistere victos
Quippe vetant duræ leges certaminis hujus,
Permittunt neu quem pugnam instaurare relictam.
Jamque adeo exiguus puerorum ex agmine tanto
Certando superest numerus, cadit unus & alter,
Subductoque magis rarescit milite campus
Inde duo superant soli, quos cernere bello
Par meritum, optati & finis præsentia poscit;
Quem fortuna juvet, quo se victoria flectat
Suspensi expectant omnes, animoque vacillant.
Seu gemini connixi inimica in prælia tauri
Cornibus incurrant acres, & vulnera miscent,
Stat pecus omne silens, timidæ mussantque juvencæ,
Cui parere detur, quis cæca regnet in aula?
Haud aliter juvenes illi, quos exitus urget
Successus dubii, contentis viribus ictus
Ingeminant, sors & virtus junguntur in unum,
Arbitra sors rerum, nam respondere roganti,

Non

---

dentibus de summo adipiscendo Regis, ut vocant, honore in Doctrina Christiana, quale ipse Ferrariæ spectator, & teſtis executioni mandatum vidi.

CXV.

Non bene re percepta, dum cupit ocyus alter,
Seu vitium hoc sensus, seu mens aversa fefellit,
Labitur, atque errore immaturo omnia vertit.
Et quamquam indictum quod dictum, reddere vellet,
Adjuvet & favor orantem, lacrymæque decoræ,
Cogitur amissam rivali cedere palmam.

Extemplo totam victoris fama per urbem
Illustrat nomen, curru ipse exceptus ovanti
Cum sociis, jungit sibi quos gradus alter honoris,
Perque forum, perque augustarum strata viarum
Solemni ritu effusæ inter gaudia gentis
Devehitur, plaudunt omnes, regemque salutant.
Munera præterea ejus collo insigne monile,
Et fulgens dextræ sceptrum, capitique coronam
Accipit, adduntur saturatæ murice vestes,
Signati nec non argenti copia & auri.
Haud tamen illa dies prima est atque ultima Regni,
Quin longum delatus honor retinetur in annum.
Hac ratione sua eligitur Regina puellis,
Nec Regi donis, nec pulcro cedit honore.

Sic Præsul stimulos addit puerilibus ausis,
Majores at sermo frequens de rebus honestis
Perficiet, siquidem sermonis maxima vis est;

Seu lapsos olim mores reparare necesse,
Seu vitæ innocuæ studium instaurare juvabit.
Officii atque hujus, proprium (r) quod publica jura
Pastoris dicunt, partes ut adimpleat ipse,
Hos præter socios, operis quos deligit hujus,
Collectum in templo festis de more diebus
Alloquio pascet populum, monitisque paternis.
Interdum celeres percurrant qui oppida vasta;
Subjectosque pagos, rerum, verbique potentes
Legabit, comites ibunt terrorque, metusque,
Concussa unde etiam vocis fera corda fragore
Cælestem accipiant animis cupientibus (s) imbrem:
Æstivum ut nubes adimens densissima solem
Horrendum tonat, & geminatis ignibus ardens
Exustos recreat pluviis torrentibus agros:
Unde viror plantis, redeant & fontibus haustus.
Hi teneras pravo quæcumque offendere mentes
Exem-

(r) *Statuit, & decrevit eadem S. Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum S. Jesu Christi Evangelium*. Conc. Trid. Ses. 5. c. 2.

Et hoc est præcipuum Episcoporum munus. Ibidem.

(s) *Maxima Sacrarum Missionum utilitas*.

Exemplo possint, imis evellere docti
Stirpibus, horrentem purgabunt sentibus agrum:
Tum malus olim quæ pudor occultare suasit
Educent cæcis latebris, adigentque fateri.
    Idem omnes Præsul vitiorum tollere causas
Curabit, natorum ut si miscrabilis ætas,
Orbatos (*t*) quos patre bonis sors dura repellit,
Nulli addicta operi passim tota urbe vagetur,
Undique collectos domus intra septa coercens
Artibus ingenuis, morum studiisque docendos
Sub vigili coget vitam tolerare magistro.
Ille etiam errantes matris post fata puellas,
Insidias ne quis prædator forte pudori
Virgineo tendat, secura in sede locabit,
Tenvia ubi discant opera exercere Minervæ,
Exhibita posthac jungendas dote marito.

Nec

(*t*) *Licet omnibus de nobis sperantibus non debeamus, in quantum possumus, nos negare; plus tamen viduarum, & orphanorum causas ducimus exequendas, quas tueri a nobis divina manifeſtat assertio*. Gelas. Gerontio, & Petro Epis.

(*u*) *Paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem*

CXVIII.

Nec minus hæ curæ sunto, quas turgidus alvus
Haud sinit admissum vulgo subducere crimen,
Dedecus ipse cavo fœtus nam ventre tumescens
Propagat, magno matris proprioque periclo.
Illa quidem extinctum vellet medio æthere solem,
Horrentive gravem vitam tolerare sub antro,
Adveniat diri partus dum flebilis hora:
Postremo & mortem lucis pertæsa vocavit.
Nam quas hæc latebras, quæ culpæ umbracula quæret?
Aut quo se paritura loco jam prodita condet?
Qui gemitum distenta premet? cui tradet alendum
Infantem? quo aut se tanto in discrimine vertet?
His furiis agitata animum jam sæva venena
Cogitat insidias tendens prolique, sibique,
Eductam aut etiam dias in luminis auras,
(Tantus agit dolor) almi nec memor ipsa lavacri,
Allidet mater duro imperterrita saxo.
Frustra (x) illam frustra revocare a crimine tanto.

In-

---

spem, tutorem pupillorum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum. S. Bern. de Consid. lib. 4. c. 11.

(x) *Civiles leges pœnæ capitis subjiciunt matres, quæ infantes suos occidunt. Recte id quidem: optandum nihilominus esset, ut hujusce severissimæ legis*

Au-

Digitized by Google

CXIX.

Indicta cædis pœna tristissima jura
Sperabunt probrum quavis plus morte timentem.
Æquius huic fuerat lapsæ protendere dextram,
Quam ullis velle modum pœnis adhibere furori.
Ergo domus pateat curis Pastoris amicam
Dans vitæ pueris undam, succumque salubrem.

Sunt quibus & formæ præstantis gratia, & ætas,
Inventrixque mali duris in rebus egestas,
Seu justi exsortes thalami, seu lege solutas,
Conjuge sublato immatura morte, jugali,
Escam infelicem turpi sibi quærere lucro,
Multorum tristi suasit, propriaque ruinâ.
Præteritæ has quondam capient si tædia vitæ,
Æternæ timor aut pœnæ ad meliora vocabit,
Ne sibi pauperies occurrens sordida vultu
Sanctis corde imo votis nascentibus obstet,
Commoda secreti præstabit cuncta recessus,
Hic procul ut populi e turba, aspectuque remotæ,
Crebris intentæ precibus, manuumque labori,

An-

Auctor, aut qui illam in usum debent deducere, fæminis, qui ex crimine filios susceperunt, viam aliquam aperuissent, qua possent ſine manifeſto infamiæ, aliorumque graviſſimorum damnorum periculo, illorum quos genuerunt, saluti ac vitæ consulere.

Antiquas curent culpas abstergere luctu.
Quas vero oblatæ ingratas obsistere luci
Inveniet, teneri monitis nec cedere patris,
Ne sævum plures virus contage maligna
Inficiat, serpant vitia impunitaque late,
Externas equidem hinc pulsas alio ire jubebit;
Esuries, atque arcta alias custodia plectet.
Nec tamen ad latebras pœna putet esse sequendum
Hoc quisquam vitium, peccata ut si omnia possit
Tollere, quin dabitur quædam perferre minora,
Ne majora mala eveniant, nam sæpe libido,
Robore pulsa suis valido dum finibus errat,
Monstrosam gressum in venerem furibunda reflexit.
Publica sic poterit prævertere crimina gentis,
Haud tamen his solum lethale indicere bellum
Contentus privata etiam extirpare laboret,
Nobilium imprimis noceant quod pluribus ista
Exemplo, olim vulgabit si nuncia fama,
Sed caveat ne dum peccantes punit in (z) ære,

Nu-

(z) *De usu, atque utilitate mulctarum, quæ ab Episcopis ad vindictam præteritorum criminum exigi solent diversus fuit usus, & sententia spectatissimorum Episcoporum, aliis illas probantibus, aliis contra easdem im-*

CXXI.

Nummo divitibus venalia crimina reddat ;
Nec tamen ad pœnas proprio quæ corpore solvi
Debent, festinet (*a*), rarus quoque carceris usus

q Et

improbantibus, quin, & in ipsis canonibus aliqua videtur esse de hac re sensuum, & dictorum discrepantia, ut videre eſt apud Bened. XIV. De Syn. Diœceſ. lib. 10. *c.* 9. *qua in re illud diligenter animadvertendum, textum Conc. Trid., qui adduci solet ad ſtabiliendum usum hujusmodi mulctarum, non loqui de mulctis, quæ in cauſis criminalibus, sed de illis tantum, quæ in cauſis civilibus infliguntur, de quo ne cui dubium esse poſſit, affero ipsa Tridentini verba Ses.* 25. *c.* 3. *Liceat eis (Episcopis), ſi expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam Laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipso, quod exactæ fuerint, aſſignentur . . . aliaque juris remedia, procedere .*

(*a*) *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas veſtra novit. Pastores enim facti sumus, non percussores; & egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Gregorius Joanni Episcopo Constantin. lib. 2. ep. 52.

Quoniam mulierem propter delictum suum contra ordinem Sacerdotii cædi crudeliter fuſtibus deputaſti: quam licet exinde (cum poſt octo menses deceſſerit) minime arbitramur fuiſſe defunctam. Tamen quia ad ordinem tuum noluiſti habere respectum duobus te men-

Et cum culpa gravis, populique offenſio poſcet,
Nec niſi se monito comprensum ducier illuc
Permittet quemquam, sit ni urgentiſſima causa,
Aut aliter fieri fuga jam præsensa requirat.
Tales si demas casus, plus ille monendo
Proficiet, superabit amor quos judicis ira,
Suppliciique metus præsens haud flectere poſſet,
Hiſtoriæ exemplis firmant quod mille vetuſtis

Nam (b) te quid memorem sacræ decus addite Mitræ,
Rexiſti hanc noſtram quondam qui mitibus urbem
Imperiis (mors nobis illum invidit acerba:
Sediſſet quintum cum nondum soſpes in annum)
Malvicine pater, monitis hic forte paternis
Impurum turpi civem cum educere cœno

Ten-

menſibus ab adminiſtratione Miſſarum ſtatuimus abſtinere. Ex eodem Gregorio ad Episc. Tarentin. c. Præterea de Clerico Percuſſore.

(b) *Reverendiſſimus Dominus Dondatius Malvicini vir omni virtutum genere, maxime autem charitate, ac suavitate in omnes illuſtris, obiit anno* 1717. *ætatis suæ* 42. *cum Eccleſiam Fulginatem maximo cum fructu, atque omnium approbatione rexiſſet annis quatuor, menſibus tribus, diebus decem & ſeptem. De hoc inter alia multa narratur in Compendio ejusdem vitæ pag.* 22. *factum hic relatum.*

CXXIII.

Tentasset semel atque iterum, nec verba juvarent,
Magnum aliquid meditans, secum in conclave remotum
Adducit, supplex ubi flexa in genva recumbens
Effigie coram pendentis ab arbore Christi,
Terga super nudus, dextram armatusque flagello
Verbera multiplicat sævus, tum sanguine largo
Colla, armosque lavat, strepitu domus ima resultat.
Nec voci parcens dulcis per vulnera Jesu,
Affixi ligno Jesu, propriamque salutem,
Ut meliora, Deo auxilium donante superne,
Proponat crebris pulsans singultibus orat.
Non tulit hanc speciem, solitus qui temnere verba
Solliciti pro se patris, sed poplite terram
Subjectam curvo invadens, manibusque flagellum
Impediens, crudo pergat ne vulnere corpus
Innocuum lacerare, simul se cuncta fatetur,
Quæ facienda sibi injunget discrimine nullo
Facturum, simul & pacem, veniamque precatur.

Lethiferæ quod si noxæ, scelerisque notatos,
Spes modo mutandæ in melius sit proxima vitæ,
Admittet vultu Præsul, verbisque benignis,
Hoc magis ille bonis, & puris corde favebit,
Nec quemquam cultu quamvis existat agresti,

Sordidus atque habitu, nitidi & sermonis egenus
Excludet, doctis æque, indoctisque paratus,
Tempora cum poscent, operam conferre salubrem.
Hinc quoque Virginibus (sanctissima portio ovilis
Pastorisque decus) sacra intra claustra receptis,
Omnibus atque aliis vitam in commune puellis
Aut proprio, aut patris voto ducentibus arctam,
Sollicitam impendet curam, ceu cætera nusquam
Urgerent, turbæ tota nihil esset in urbe,
Dicere quæ cupiant scripto, missove fideli
Legato magnam libertatem esse jubendo.
Nec multum illarum studiis, placitisque repugnans
Obstabit, gracili condonas plurima (c) genti.
Præsertim sese siquam prodentibus extra
Conjiciet signis, linguam cohibente pudore
Infesto, reserare prius commissa vereri,
Occurret facilis, totoque ex ordine patrum,
Præpositi sanandis qui morbis animorum,

Se-

(c) *Modum agendi cum Monialibus suavitatis, & indulgentiæ plenum discere poterunt Episcopi ex epiſtola* 109. *S. Auguſtini scripta ad virgines exiſtentes in quodam Cœnobio suæ curæ subjecto, occaſione quarumdam turbarum ibidem exortarum, ex qua quidem epiſtola excerpta fuit Regula pro Monialibus Auguſtinienſis Inſtituti.*

Seductæ faciles aures præbere puellæ
Permittet (*d*) quemcumque optaverit ipsa, rogatus;
Deliciis ne hic exclusæ genialibus illæ,
Insuper ad pœnam suprema sorte vocatæ
Æternæ infandum! perdant quoque gaudia vitæ.
Fortunatæ equidem tantum si propria nossent
Dona; quibus mundo jussis, fastuque valere
Munifici lautæ sponsi considere mensæ
Permissum, & placito semper sibi vivere amori.
Hunc summis animi studiis, hunc mente fideli
Complexæ, factis curant; vitaque referre.
Regalem in tabula pictor ceu ducere vultum
Ingenti quondam exhibita mercede rogatus,
Hæret in exemplo fixus, nullaque movetur
Objecta rerum facie, emissoque fragore;
Intus quippe vocat labor admirabilis artis,
Et proprium decus, huic & debita præmia laudi;
Sic illæ haud oculos aversæ a Numine summo,
Il-

(*d*) *Concilium Tridentinum præcipiens* Ses. 25. cap. 10. *ut præter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, non prohibet, ut alii destinentur Confessores, quos Moniales adire possint, non tamen debeant*:

Illius in se ipsis ardent effingere formam.
Quondam etiam instaret dirum cum desuper Urbi
Supplicium, irato contra sua Numine tela:
Torquente, opposito valido velut aggere, longe
Vastantem precibus terram avertere ruinam.
Nec minus orando Pastori lumen amicum
Impetrare valent, quo per prærupta viarum
Incedens post mille hujus discrimina vitæ,
Commissi sibi cum populo, per sæcula cuncta,
Cœlestis teneat sublimia gaudia regni.

Ille etiam officii pars ne neglecta sit ulla,
Pauperibus, Christi causa quos ducit amicos,
Largus opes Sponsæ dotales fundet alendis.
Inde dato signo certis de more diebus (e)
Sublimes cunctos mendicos coget in ædes
Nummum accepturos, fragmen seu panis amatum.
Nec levior tanget Pastoris viscera cura
Expositos triviis inopes, aliosque pudore
Arctis detentos domibus, quæ maxima turba,

Sub-

(e) *Si in Clero se electum eſſe dicat, ſi Sacerdotem se nominet, scrutare. Si vero pro nutrimento poſtulet, nihil in his examines. Non enim ex vita eorum quos recipis, mercedem tibi retributurus eſt Deus, sed ex voluntate tua.* S. Joan. Chrys. hom. ad cap. 6. Ep. ad Hebræos.

Submissis occulte alimentis pascere cives.
His etiam arcendis aptas hiemalibus addet
Frigoribus vestes, seræ lectumque quieti.
Præterea & dotem illis quæ optavere maritum,
Secreti vel quæ claustri sancta otia laudant,
Constituet, servati huic fini prodigus auri (f).

Pontificum hæ partes etiam cum lætior annus
Horrea laxa premens tumulatis frugibus implet.
Sæpe tamen placidos cœlum quod deneget imbres,
Alma Seres sicco sitibunda recedit ab agro,
Aut viles lappæ, & steriles dominantur avenæ.
Quondam etiam cultos campos cum proxima messis
In-

(f) *Fruſtra eſſet hic afferre ſingularia exempla effuſæ charitatis in Pauperes cujusvis sexus, & conditionis a SS. Episcopis tam recentibus, quam antiquis exercitæ, quorum omnium loco satis erit commemorare illuſtre illud dictum S. Laurentii Juſtiniani, qui, ut refertur in 2. lect. off. ejusdem feſti, modicam domi alebat familiam, quod grandem alteram ſibi eſſe diceret, pauperes Chriſti ſignificans, non renuens vel ære se alieno gravare, dum illorum ne inopiæ deesset.*

Non ſibi credat solam lectionem, & orationem ſufficere; sed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia ſi hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet. S. Gregorius lib. 5. ep. 29.

Instaret, super incumbens nebula horrida totam
Gorgonea absumpsit miseri spem tabe coloni.
Occidua aut. veniens viridis de parte locusta
Morsum expectantem falcis depascitur agrum:
Ceu quondam gelida populus deductus ab arcto
Europæ multo vastavit milite regna.
Hinc quæ pallentis foribus stabulantur averni
Dira fames, morbique, atque immedicabile lethum,
Terribiles visu formæ, luctusque, laborque
Prorumpunt hominum ingenti, pecudumque ruina.
Tunc soliti, gentis quos infortunia lædunt
Pastores propriæ, tantis se opponere damnis
Maxima opum vi, non curis non parcitur auro,
Natorum urit quippe dolor præcordia patris.
Plena domus pinguis postquam granaria fudit,
Argenti quidquid celsa servatur in aula
Arte laborati, reliqua & pretiosa supellex
Venditur, acceptove in pignus traditur ære.
Tum nullus vacuis stabulis hinnitus (g) equorum
Au-

(g) *Petrus hic eſt qui neſcitur proceſſiſſe aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis; non vectus equo albo. Abſque his tamen credidit satis impleri poſſe salutare mandatum: Si amas me paſce oves meas. Conſulo*

Auditur, currum ulli nec ſubiere jugales,
Quippe pedes magna circum ſtipante caterva
Incedit numquam tanto ſuſceptus honore,
Sublimis media vel cum procederet urbe
Aurato invectus curru, nitidiſque lupatis:
Quippe alias Dominum, Patrem nunc voce ſalutant,

r Fa-

ſulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. S. Ber. de Conſid. lib. 4. c. 3.

In maximis populi neceſſitatibus non ſolum ſe omnibus ſuis rebus priorum sæculorum Antiſtites abdicabant, ſed etiam, cum aliud non ſuccurreret, ad ejuſdem ſublevandam inopiam, eccleſiaſticam ſupellectilem, ac vaſa etiam initiata diſtrahebant. Id quod a Divo Ambroſio lib. 2. de Officiis cap. 28. celebratum inter canones c. 12. q. 2. relatum fuit: Aurum, inquit, Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Nonne dicturus eſt Dominus: Cur paſſus es tot inopes fame mori? melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum. His non poſſet reſponſum referri. Quid enim diceres? Timui ne Templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet: Aurum Sacramenta non quærunt. Ideo intra Eccleſiam primum quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent, deinde comminuta: poſtremo conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus, captivorum quoque pretiis profecerunt. Quod ſi deſunt nova, & quæ nequaquam initiata videantur, in hujuſmodi uſus, quos ſupra diximus, arbitror omnia pie poſſe converti.

Factis namque pater, gaudet pater ipse vocari.
Qualis ad undosum littus, desertaque vasta
Ducebat Jesus turbas, quam mille secuti
Mortales adstant lateri, insolitoque refecti
Prodigio, multo frusta haud capiente canistro;
Regali reputant dignum, celebrantque corona.
Nec minus egregii Pastoris condita virtus
Elucet, dira arrodens cum viscera (*h*) pestis
Urbe aufert cives, agrum spoliatque colonis;
Concepto subter valido ceu cum impete tellus
Altas ex imo turres, humilesque tabernas
Dejiciens, turbato fatorum ordine, plures
Semineces condit mortem præeunte sepulcro,
Vos superi indigetes, quibus hæc sunt mœnia curæ
Hoc tantum populo commisso avertite monstrum.
Omnis quippe gravi circum vicina flagello

Sæ-

(*h*) *S. Carolus Borromæus quo tempore peſtis Mediolani graſſabatur, domeſticam ſupellectilem, ne relicto ſibi lectulo, in eosdem alendos contulit, ſuper nuda in poſterum tabula decumbens: eoque morbo laborantes ſedulo invisens, paterno reficiebat affectu, & Eccleſiæ Sacramenta propriis ipse manibus adminiſtrans, mirum in modum ſolabatur.* Ex secunda lect. Officii S. Caroli Bor.

CXXXI.

Sæpius ingemuit regio, indoluitque ruina.
Celsum qua tollit caput Apenninus ad auras,
Effossoque viam munit urbs proxima monti,
Callium huic nomen, paucis quæ cognita fama
Dum stetit incolumis, nunc reddita clara ruinis,
Septa intra templi pueri dum mane coacti
Divino poscunt signari Chrismate frontem,
Seque ministerio Præsul parat optimus isti,
Ingenti vallum populi cingente corona,
Sub pedibus mugire solum, totamque repente
Impelli hac, illac molem, tum fornice rupto
Ad terras imas visum considere templum.
Hinc exaudiri voces fractæ morientum,
Et frustra auxilium communi in clade petentum.
It multo ad cœlum confusus pulvere clamor,
Plurima perque vias, perque interiora domorum
Corpora sternuntur passim, crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & diræ mortis imago.
At Præsul media quamvis jam morte tenetur,
Excidio casu eductus, superesse dolori
Tanto eversæ urbis jussus, fatoque suorum.
Nec tamen his satiata malis, ceu dira Noverca;
Mortales proprio quos ubere sumpsit alendos,

Mo-

Motibus aſſiduis tellus vexare quieſcit,
Namque hinc ſuccuſſæ tremuerunt ſæpius urbes
Vicinæ, late fuſo per corda pavore.
At quæ Virgilium rapuit ſævissima magnum,
Sedibus his noſtris nec multum diſſita, terra,
Subſidens populos ingentes hauſit & urbes.
Hoc tanto reliquis diſperſis turbine rerum,
Auxilioque fugæ tutam ſibi quærere ſedem,
Paulisper dum terra ſilet, properantibus, unus
Deſpiciens ſeſe trepida cum plebe, recedet
Herboſum in campum Præſul, gelidumque ſub Æthra
Gramineo in ſtrato ramis tentoria ponet.
Hinc populum quacumque ſibi datur arte juvare,
Corporibusque, animiſque ægris afferre levamen
Quod valet, auguſta omnes intra viſcera portans,
Haud ſinet, actu indefeſſus, cum prodigus æris.
Tum fixis terræ genibus, tollenſque ſupinas
Ad cœlum palmas, Numen ſi flectere poſſit,
Suppliciter triſtis, lacrimiſque rigantibus ora,
Offeret irato ſeſe pia victima (*i*) cœlo.

Pon-

(*i*) *Semetipſum pro peccatis populi hoſtiam offerens, divinam indignationem avertere ſatagebat.* Ex ſecunda lec. Off. S. Caroli.

CXXXIII.

Pontificem hæc ſanctæ vitæ pulcherrima forma
Invidiæ abductum telis, linguisque malignis,
Præstabit gratum populo dum vita manebit;
Clauserit at postquam tranquilla lumina morte,
Hæc eadem extinctum sublimibus inseret astris.

Digitized by Google

ERRATA. CORRIGE.

Pag. 45. v. 2. Sis , Sancta -- Sis sancta
Pag. 79. Nota *Inter Concilia &c.* Rejicienda ad pag. seq.
Pag. 87. v. 1. Qui sedit dispar -- Dispar qui sedit.

Imprimatur si videbitur :

Justinianus Poggius Arch. Eccl. & Rev. Syn. pro Illmo & Rmo Episcopo Fulg.

Imprimatur .

F. A. Vitalini Ordinis Præd. S. T. M. Vicarius S. Officii .

Digitized by Google

CXXXV.

CLARISSIMO SUO CIVI

JOSEPHO PONSI

JOSEPHUS CASANOVAS

S. P. D.

PRæfationem tui Poematis jam Typis excusam, sed non dum in lucem editam, a te mihi peramice mandatam cum primum accepi, perculit me vehementer tua illa ab optima quidem voluntate profecta, insolens tamen, atque inopinata laudatio, qua nomen quoque meum maximopere commendatum, atque ornatum elegantissimo tuo Carmini inserendum putasti. Esset autem profecto cur tibi ob istud benevolentissimum ausum nonnihil irascerer, nisi certo mihi persuaderem fore, ut quilibet in hujusmodi laudatione modestiam potius tuam, excelsique animi magnitudinem agnoscat, quam laudati meritum. Verum enim vero cum omnes, qui alios in litteris instituerunt, sicut parentes ex filiorum virtutibus, ex profectu suorum discipulorum voluptatem maximam capere soleant; jure quidem meo mihimet ipsi tacite blandior, ac plurimum plaudo, de te sæpius cogitans, qui ex mea, qualiscumque illa fuerit, disciplina tantus, quantum hoc tuum adeo elaboratum opus ostendit, evaseris. Atque illud quidem in hoc tuo Poemate nonnemo præclarum maxime; atque ad exsequendum difficile existimabit, quod omnes in eo sacri Pastoris partes, & munia feliciter comprehenderis. Qua tamen in re,

ut

ut libere quod sentio dicam, haud multum tibi laborandum fuit; habes quippe domi optimi, ac præstantissimi Præsulis vivam, spirantemque imaginem, quam perpetuo ad describendum intuerere. Castissimos deinde, integrosque mores in aliis effingere studens, tuos unice expressisti. Quapropter mirabuntur in te potius alii, summisque laudibus efferent puram illam, ac nitidam latinitatem, quæ heroicis temporibus maximo erat in pretio, nostris vilescit, & jacet; tum ingentem pulcherrimarum imaginum varietatem, & copiam, quibus Poema tuum velut lucidissimis gemmis distinxisti; postremo admirabilem illam, ac pene incredibilem facilitatem clare, eleganterque exponendi res novas, ac difficiles priscis Latii Scriptoribus prorsus ignotas, & quæ non solum severissimas numerorum leges subire recusent, sed poeticam etiam dictionem modis omnibus aversentur. Ego vero, tametsi hoc tuum venustissimum Poema propter istas, aliasque ejusdem virtutes eximias maxime probem, atque suspiciam, majus tamen quiddam a te requiro, atque efflagito, ut singularem scilicet græcarum litterarum peritiam, utriusque cum veteris, tum recentis Philosophiæ absolutissimam notitiam, Theologicarum item Disciplinarum reconditam scientiam, exquisitam denique omnis generis eruditionem, quibus Poematis materies, & conditio locum dare detrectabat, nova majorum operum molitione, atque editione palam faciens, cumulatissimum illum multiplicis, quam singulari quodam naturæ munere, ac diuturno studio adeptus es, doctrinæ fructum, aliis quoque, publico commodo, communem esse velis. Vale: meque mutuo dilige. Fani VIII. *Id. Feb. MDCCLXXXIV.*

Digitized by Google

Digitized by Google